AUTHOR:
WEICKER, GEORG

TITLE:
DE SIRENIBUS QUAESTIONES SELECTAE

PLACE:
LIPSIAE

DATE:
1895

Master Negative #

92-80775-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885
W424 Weicker, Georg, 1869-
De Sirenibus quaestiones selectae; dissertatio inauguralis quam... scripsit Georgius Weicker... Lipsiae, typis Hessei, 1895.
60 p. 22½ cm.

Thesis, Leipzig.
"Depromptae sunt hae quaestiones e prima parte libri, quem vernacula lingua(Untersuchungen über den typus und die bedeutung des menschenköpfigen vogels in der antik[illegible]en kunst und litteratur) conscriptum edituru[illegible]m".

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/20/92 INITIALS May
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Welcker

DE SIRENIBUS
QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS WEICKER
CYGNEENSIS.

LIPSIAE
TYPIS HESSEI ET BECKERI
1895.

Depromptae sunt hae Quaestiones e prima parte libri, quem vernacula lingua (Untersuchungen über den Typus und die Bedeutung des menschenköpfigen Vogels in der antiken Kunst und Litteratur) conscriptum editurus sum.

Parentibus Carissimis

Sacrum.

I.

Quaenam viri docti de Sirenibus collegerint.

Omnes fere, qui de rebus mythicis Graecorum scripserunt viri docti Sirenibus quoque explicandis operam dederunt, quarum natura quae esset et propria vis perscrutari, cognoscere, e scriptis monumentisque veterum expedire et summa cum sagacitate atque industria, et nonnunquam socordia studuerunt. Quanta autem exstitit inter viros doctissimos de Sirenibus dissensio, quot quamque variae prolatae sunt sententiae! Nam omnia fere quae vel in coelo, vel in terra, vel in mari fiunt, a viris doctis primariam Sirenum sedem et notionem indagantibus vexata et conturbata sunt; quin non deerant, qui varia Sirenum genera discrepantia inter se nec sententiarum connexu colligata exstitisse contenderent. Aucta est dissensio ea re quod certa veterum testimonia de Sirenum natura aut omnino non tradita sunt, aut talia, quae falsa esse et perversa per se fere appareat.

Quae cum ita sint, disputationis nostrae, qua quaestionem de Sirenibus renovare nobis proposuimus, duplex erit ratio: primum operam navemus, ut sententias adhuc propositas diligenter perscrutati quam ob causam falsae nobis videantur esse et refutandae demonstremus, deinde omne studium conferamus, ut novam quam prolaturi sumus interpretationem certis satisque idoneis argumentis rectam esse coarguamus. Duo autem cum testimoniorum genera ansas praebuerint doctissimis viris ad propriam Sirenum vim enucleandam, scriptorum scilicet testimonia, quibus fabulae de Sirenibus vulgatae memoriae traditae sunt, et artis monumenta, quibus Sirenum simulacra saepissime in sepulcris collocata esse discimus, utraque quaestionis pars bipartita sit necesse est, primum nobis de Sirenum natura quae in fabulis commemorantur investigantibus, tum de Sirenum sepulcralibus monumentis impositarum notione disserentibus. Adiungendum est denique caput quo exponamus quam ob. causam Graeci Sirenes avium figuris humana capita virgineaque pectora gerentium indutas finxisse nobis videantur.

Ac primum quidem videamus *quamnam attribuerint adhuc viri docti Sirenibus, quae in Graecorum fabulis commemorantur, vim et naturam.*

Exoriri fas est quaestionem e veterum de Sirenum natura sententiis, quamquam nullius ad verum investigandum sunt pretii.

Meretrices enim, quae quia nautas deduxissent ad egestatem, iis dictae essent naufragium inferre, Sirenes revera fuisse contenderunt ei viri docti, qui Euhemerum ducem secuti omnes deos et daemones ex hominibus ortos esse pronunciarunt.[1]) Quam quidem ut refutemus sententiam operae pretium non est.

Nec pluris sane momenti illorum opiniones sunt, qui Sirenum cantatricum fabulae causam et originem positam esse dixerint in sonitu, qui fieret vento e terrae rimis, quibus incolae fistulas tibiasque infixissent, erumpente[2]); neque illorum fidem impetraverint sententiae, qui fluctuum strepitum et murmur istius fabulae fontes exstitisse tradiderunt[3]), quorum his quoque temporibus patrocinium susceptum esse a viro doctissimo *Schenkl*[4]) nostro sane iure miramur.

Sed his praetermissis quid ei, qui nostra floruerunt aetate de Sirenibus senserint, diligentius inspiciamus.[5])

Ineunte hoc saeculo cum plerique viri docti omnia veterum vasa picta, figlina sigilla, quaecunque denique antiquitatis monumenta e sepulcris in lucem prodierunt, ad deorum cultum, imprimis ad secreta illa Graecorum mysteria pertinere sibi persuasissent, fieri non potuit, quin non solum imagines Sirenum, sed tota etiam fabula mysticam quandam speciem prae se ferre, Sirenes artissime cum arcana illa et recondita doctrina cohaerere putarentur, nullis sane argumentis allatis. Quare missa faciam, quae *Creuzer*[6]) et *Bachofen*[7]) de mystica Sirenum commenti sunt natura et propria vi, quae *Biardot*[8]) et *Cerquand*[9]) excogitarunt,

1) Eustath. ad Odyss. M 47, p. 1709, 30s. Heracl.: De incred. c. 14. Jon. Ant. fr. 17. Tzetzes, Chiliad. I, 340 s. id. Schol. Lycophr. 653. Schol. B. Od. M 39. Suid. s. v. Σειρῆνας, alii.

2) Eustath. p. 1709, 35s. Suid. l. l.

3) Eustath. l. l. Suid. l. l. Tzetzes: Chiliad. I, 340s.

4) Zeitschr. f. d. österreich. Gymnasien, 1865 p. 225s.

5) Mihi omnino non licuit libros inspicere, quos G. Karsten et J. E. Harrison de Sirenibus conscripserunt, ab hac, „Myths of the Odyssey in art and litterature, 1881“, ab illo „Les Sirènes“, 1858 inscriptos.

6) Symbolik u. Mythologie II, 188, 292; IV, 76; Zur Archaeol. III, 235.

7) Versuch über die Gräbersymbolik der Alten, Basel 1859, p. 370.

8) Les terres-cuites grecques funèbres dans leur rapport avec les mystères de Bacchus. 1872, p. 346.

9) Les Sirènes, Revue Archéol. 1864, p. 300, passim.

ut Sirenes primas partes in Cereris et Proserpinae mysteriis Eleusiniis egisse demonstrarent. Similem quoque sententiam secutus *Laglandière*[1]) semper mysticam et symbolicam quam dicunt eis esse vim contendit. Nec pluribus refutandae sunt nostris temporibus *Gerhardi* sententiae, obscurae quidem et inconditae, qui Sirenes aut — liceat mihi propria eius verba afferre — „Euphemismen bacchischen Unterweltsdienstes“ appellavit[2]), aut „einschmeichelnde Daemonen einer süssbindenden Liebeslockung“[3]), aut vates fervidi et sterilis aequoris[4]), aut ad certamina eas pertinere arbitratus est.[5])

Sed vereor ne longius in arcana illa versatus sim mystarum turba[6]), alias iam, quae viris doctis de Sirenibus probatae sint sententias perlustremus.

Reconditam quandam nec perspicuam illae quoque redolent doctrinam, quibus allegoriam quandam in Sirenibus latere contenditur. Humanissimum dico virum *Welckerum*[7]), qui in Sirenum fabula non aliam inesse vim putabat nisi ut demonstretur navigatione allici homines et delectari, sed finem illius esse mortem. *Hartungius*[8]) vero pericula ostendi ratus est, quibus nimia et temeraria discendi cupiditate implicemur, *Patronio*[9]) contra hac sententia probata: Ulixem Sirenes evitantem imaginem et symbolum quod dicunt esse Graecorum, quippe qui perniciosas illecebras aequoris navigatione bene instituta superassent. Nec maior sane vis explicationibus attribuenda est qualem alteram *Welcker*[10]) protulit: suavem Sirenum cantum libidinum imaginem esse, quae sapientem suique memorem Ulixem ducem secutis fugiendae essent, aut qualem *Piper*[11]), qui item Sirenum forma et cantu illecebras voluptatum significari censuit.

Quae quidem interpretationes plerumque ortae sunt ex eo quod canendi dulcedo, qua apud Homerum Sirenes praecellunt, summa et principium totius fabulae putabatur, id

1) Annali dell' inst. arch. I, p. 286.

2) Auserlesene Vasenbilder I, p. 100.

3) l. l. Griech. Mythologie § 553.

4) l. l.

5) Abhandl. der Berl. Akad. 1839, p. 195; Auserlesene Vasenbilder I, p. 101, n. 140.

6) Adscribendi eis sunt Quaranta: Memorie della R. accad. Ercolan. IV, 170, et Stackelberg: Gräber der Hellenen p. 10s.

7) Griech. Götterlehre III, 164.

8) Religion und Mythologie der Griechen II, p. 142.

9) Intorno al mito delle Sirene, Rivista di filologia XIX, p. 337.

10) l. l. II, 151.

11) Mythologie u. Symbolik d. christl. Kunst I, p. 378.

quod haud ita esse postea accuratius perspiciemus. Eodem quoque fundamento nisus doctissimus vir *Preller*[1]) Sirenes „Musas maris" appellavit, illumque auctorem secuti plurimi, qui postea Graecorum fabulas pertractantes Sirenes attigerunt, istam magna cum voce iustam proclamarunt interpretationem, quae in omnia fere historiarum fabularum compendia manavit. At exstiterunt unquam apud Graecos „maris Musae"? Num unum istarum in medium proferre potes veterum scriptorum testimonium? Num unum invenisti qui Sirenes hoc nomine appellaverit? Immo Camenas illas maritimas sine ullo argumento, sine ulla scriptorum aut monumentorum auctoritate vana tantum creatas esse cogitatione dico. Diligentius enim si reputaveris sensu omnino carere illas concedes, verba esse, suaviter sane et dulciter resonantia, fragili tamen et fere nullo fundamento exstructa. Videas, quae conferendi fuerit ratio. Suaviter cum Sirenes in Homeri carmine canant, Musae quoque omnes vocum superaverint dulcedine, Sirenes Musae sint necesse est; cum vero in insula habitasse Sirenes Homerus testetur, Musae maris quin fuerint non est dubitandum. At recto talo stare hanc argumentationem arbitraris? Immo vides, quantos inducamur in errores, cum Homericae fabulae quasdam nimis urgeamus partes. Quare allatis viris doctis *Hartung*[2]) et *Buchholz*[3]) reliquorum turbam qui Prellero auctore Sirenes maris esse Musas contenderunt missam faciamus. Quam quidem interpretationem etiam *Stephani*[4]) amplexus est, qui mira qua erat scriptorum et monumentorum cognitione praeter ceteros praeditus ampliorem de Sirenibus conscripsit commentationem. Omnia vero cum confuderit vir doctissimus veterum testimonia, cum antiquissima recentissimis fulcire, diversissima in unum redigere studuerit, collectione illa veterum testimoniorum admodum laudabili excepta, nullius tota nunc est pretii dissertatio.

Sed alii Sirenum in medium prodeant interpretes.

Constat inter omnes plerosque atque eos doctissimos viros, qui veterum fabulis explanandis incubuerunt, sibi persuasisse omnem mythologiam a contemplatione rerum naturae profectam esse, cuiusvis religionis primordia cum in nubibus et imbribus, in ventis et tempestatibus, in fulminibus et tonitribus iacuissent, omnes veterum deos, omnes heroes, omnia

1) Preller-Robert: Griech. Mythologie⁴ I, p. 614.
2) Religion u. Mythologie II, p. 122.
3) Homerische Realien III, 2, p. 264.
4) Compte-rendu de la commission impér. archéol. de St. Petersbourg (C. R.) 1866 p. 10ss.

denique fabularum monstra ex iis quae in rerum natura fiunt prodigiis ortos esse, quae homines ad numina divina eorumque res gestas animis effingendas fabulisque depingendas commovissent. Sirenum quoque fabulam ad certam quandam rationem physicam revocarunt, reconditam sub illa latere vel coeli, vel terrae, vel maris continuam translationem rati.

Agedum videamus singula rerum naturae phaenomena, e quibus Sirenum originem duxerunt.

Insula ab Homero commemorata adducti plurimi eas ad maritimam regionem retulerunt, iterum *Prelleri*[1]) imprimis commoti exemplo, qui Sirenes imaginem aequoris tranquilli esse dixit, cuius tamen sub levitate laterent scopuli et syrtes, i. e. naufragium et pericula mortem minitantia.

Eandem fere interpretandi viam ingressi sunt *Müllenhoff*[2]) et *Buchholz*[3]), similem *Laglandière* in libro supra laudato. Quorum quoque numero adscribendus est *Holmius*[4]) atque ei, qui fluctuum murmur Sirenum cantu significari putarunt[5]).

Alii viri docti periculosis ac fallacibus maris fluctibus relictis in aëra evolarunt Sirenes interpretandi studiosi, mira illi quidem et Sirenum et ventorum detegentes mysteria. Malaciae enim Sirenum esse propriam vim et notionem *Cerquand*[6]) nos docet, contrarium vero placuit *Schradero*[7]), cum Sirenes Atabuli esse imagines summo cum studio, minima vero sagacitate demonstrare contenderet libello perversissimis abundante sententiis, quo fallax fallaci nititur conclusiuncula, quique puerilem, ut ita dicam, in ea, quae de artis monumentis est parte praebet doctrinam. Quarum contrariarum sententiarum neutram recte stare ratus mediam ingressus est viam, etsi non auream, nuperrime vir doctus *Patroni*[8]), adducere

1) l. l. I, p. 614. — 2) Deutsche Altertumskunde I, p. 54.
3) l. l. III, 2, p. 266.
4) Ricerche sulla storia antica della Campania, in „Archivio Storico per le province Napoletane" XI, p. 48. „Le Sirene rappresentano l'incanto del mare placido, che scherza intorno agli scogli della costa invitando i navigatori a tuffarsi nelle onde azzurre; esse sono vergini dalla voce dolce che colle loro armonie fanno perdere la ragione ai poveri mortali, i quali dimenticano il ritorno alla patria."
5) cf p. 6.
6) Rev. Arch. 1864, p. 289 „Les Sirènes sont le calme sous le vent des hautes falaises et des îles".
7) Die Sirenen nach ihrer Bedeutung und künstlerischen Darstellung im Altertum, Berlin 1868, p. 17 „Die Sirenen sind die erschlaffende und alles frische Leben tötende, als Ausgeburt der Erde gefasste Schwüle überhaupt, der Scirocco." Multas ineptias ab eo prolatas iure refutarunt viri docti *Plew*, in recensione illius libri, Jahrb. f. Phil. 1869, p. 317, et *Patroni* in commentatione supra laudata.
8) l. l. p. 331.

autem nos conatur, ut sereno et amoeno tempori quae praesideant deas esse Sirenes credamus.

Sed ne aëre quidem contenti alii viri docti, altiora petentes in coelestem subvolarunt locum, quin ad astra se extulerunt. Mireris sane hanc audaciam, ignarus quae res Sirenibus cum coelo sit? Quid? pulcherrimamne nobis ostendit picturam coelestem *Schwartzius*[1]), cum demonstrare studeat — liceat mihi nostro sermone eius verba affere — „wie uns die Sirenen nach urgriechischer Vorstellung auch noch ganz speziell derartige Leichenvögel im Wolkentreiben und den leuchtenden Blitzen mit den Häuten und Gebeinen der gefressenen Wesen dort oben ihr Wesen treiben zeigen"?

Nubes vero transgressus stellarum regionem appetivit *Cerquand* altero libro[2]), quo Sirenes ipsa fuisse astra affirmavit, cum *Klausen* illas aut putredinis daemones[3]) habuerit, aut „das Herz zerschmelzende, den Leib verwesende, süssklagende Leichenvögel"[4]), quod quidem quodnam sit avium genus ornithologiae quam dicunt periti exquirere studeant, me ipsum nescire haud aegre fero.

Conzeus vero vir doctissimus, malariam quam medici dicunt, forte pestilentiam Sirenum fabula adumbrari censuit[5]).

Omnes quas modo commemoravi refutandas mihi visas esse interpretationes vix dicere opus est. Tantum enim abest ut illam veterum fabulas explicandi rationem comprobem, ut omnino negem quendam fabularum heroem, quoddam monstrum, nedum totas fabulas e contemplatione rerum naturae aut eorum, quae vel in coelo, vel in mari, vel in terra fiunt, oriri potuisse. Quid? quod antiquissimis generis humani temporibus, prima, ut ita dicam, Graecorum infantia, in quam recedamus necesse est hac via et ratione accepta, arbitremur homines non solum naturae terrore, quin etiam admiratione ita imbutos, tanta fingendi et canendi praeditos fuisse vi et facultate, ut ab omnibus rerum naturae phaenomenis per allegorias et aenigmata secretas et reconditas narrari fabulas cogitatione depingerent? Immo abhorret talis opinio a consuetudine et moribus remotissimorum temporum, quibus homines mentibus nondum amoenitate et elegantia naturae instructis non omne studium in rerum naturae phaenomenis scrutandis explicandisque collocasse cum suspicer, neminem mecum rixaturum esse spero. Quam primam summamque legem fabularum primordia nobis inquirentibus tenendam esse puto, haec est: fieri non potuisse, ut primi homines rerum naturae prodigiis daemones occultari vel significari arbitrarentur, aut deorum et daemonum pugnas in fulguribus, tonitru, fluctibus, imbribus, ventis factas denuo quotannis aut quotidie ostendi censerent, nisi iam antea daemones ipsos *esse* persuasum habuissent. Tum, neque deos neque daemones propterea e rerum naturae phaenomenis repetitos esse vel repeti potuisse, quia quaecunque essent divinis mentibus animata visa essent; immo propterea quod defunctorum animae vel daemones non solum omnino esse, sed etiam in omnibus mundi partibus vagari, in montibus, saxis, arboribus, fluctibus, ventis praecipue habitare consensu omnium constaret, illos in eis quoque, quae in rerum natura fierent phaenomenis et prodigiis inesse vel eis praeesse fingi potuisse, non debuisse. Sed de eis unde equidem religionis et mythologiae primordia repetenda esse existimem, infra plura et uberiora; satis tamen ex eis, quae modo protuli, intelligi posse mihi videtur, cur ullum daemonem, ullum fabularum monstrum e naturae observatione vel contemplatione ortum esse, ullum ad vanam quandam physicam aut ethicam revocandum esse rationem omnino negem; neque enim aenigmata a Graecorum fabulis proponuntur neve ambages narrantur rerum naturae prodigiis velatae. Quare perquiramus quae insunt, non quae inesse nobis videantur.

1) Die poetischen Naturanschauungen der Griechen, Römer und Deutschen. I. Sonne, Mond u. Sterne p. 16. Similem profert interpretationem in dissertatione „Die Sirenen und der nordische Hraesvelgr" inscripta, Zeitschr. f. d. Gymnas. 1863, p. 465s; et in libro quem inscripsit „Ursprung der Mythologie" p. 192.

2) Etudes de mythologie grecque. Ulysse et Circée, Les Sirènes. Paris 1873.

3) Abenteuer des Odysseus p. 46.

4) Aeneas und die Penaten p. 493.

5) Griech. Götter- u. Heroengestalten p. 44.

Sed vereor ne a proposito aberrasse videamur, quare ad ipsas, quas pertractandas nobis proposuimus Sirenes redeamus.

Praeter eam de qua modo disseruimus, altera quoque est causa, qua commotis allegoricae illae aut physicae Sirenum interpretationes refutandae nobis videantur esse. Omnes enim ad unum, quos modo attuli viri docti, e fabula Homerica explicandi exordium ceperunt mystica quadam aut physica notione isti subiecta. Parum vero respexerunt Sirenes neque ab Homero creatas esse neque sola in Odyssea commemorari. Tantum enim afuit, ut omnium quae de Sirenibus tradita sunt testimoniorum pari ratione habita vim et notionem enuclearent, ut reliqua flecterent et premerent ad unam illam falsam physicam vel ethicam Homericae fabulae interpretationem fulciendam.

Similibus quibus nos causis adductus *Ernestus Curtius*[1]), cum iam viginti quinque annis ante allegorias quae dicuntur origines fuisse negasset dearum cultu ac templo praeditarum, qualis Parthenope Siren fuisset, Venerem quandam Sirenem esse demonstrare studuit; cui quidem sententiae similes et antea et postea viri docti proposuerunt, eis praecipue adducti rebus, quas veteres de Sirenibus meretricibus fabulose narraverant, quo in numero sunt *Froehner*[2]), *Stephani*[3]), *Wieseler.*[4]) Nec desunt alii, qui alio cum deo aut cum dea Sirenes coniunxerint. Athenae enim cum imprimis eas alligassent *M. Mayer*[5]) et *Stephani*[6]), Junoni *Welcker*[7]) et *Cerquand*[8]), artissime Sirenes eum Dionyso connexas esse et colligatas *Gerhardus*[9]) et *Stephani*[10]) censuerunt, omnes ad unum recentioribus tantum veterum testimoniis usi, quae ad veram et genuinam naturam intelligendam omnino nil valent, nata scilicet ex eis, quae posteriorum temporum poetae, nimia Homericae fabulae auctoritate commoti fabulose de Sirenibus commenti sunt. Itaque ne dei quidem in hac quam nobis proposuimus quaestione pertractanda adiutores exsistunt.

Dixerit fortasse quispiam: At omnes nobis interpretandi facultates eripuisti, utpote qui non solum rerum naturam nobis dempseris, terra, mari, nubibus, coelo nobis interdixeris, sed etiam a dis explicandi auxilium peti vetueris! Quin Odysseam, qua vetustior Sirenum fabula afferi sane nequit, fontem interpretationis improbasti! Quibusnam veterum fabulis fundamentis uteris? Quid enim? Lucene clarius est Sirenes a poetis Odysseam imitantibus Argonautarum fabulae insertas, certamen quoque, quo a Musis victae esse dicuntur, effictum esse, ut funestus Sirenum cantus coelestibus illis Musarum vocibus opponeretur? Recte sane, quin alio demonstrabo loco et eam fabulam, qua Sirenes Persephones ministrae

1) Archaeolog. Zeitung 1871 p. 11.

2) Collection van Branteghem. Vases peints et terres-cuites antiques, dont la vente . . aura lieu le 16—18 juni 1892, Paris, ad n. 148. Volucrem humano capite praeditam Veneris antiquissimam formam esse dixit.

3) C. R. 1866 p. 60; 1870 p. 145.

4) Sopra alcune rappresentazione del ciclo della Venere orientale, Nuove memorie dell' instit. arch. p. 421s.

5) Mythhistorica, Hermes XXVII, p. 481s. Sententiae ibi propositae fere omnes refutandae mihi videntur esse.

6) C. R. 1866 p. 59.

7) Griech. Götterl. II, 710.

8) Rev. Arch. 1864 p. 299.

9) Rapporto Volcente p. 124.

10) C. R. 1866 p. 61; 1870 p. 145.

et comites ludentes florilegaeque inducuntur, recentem esse nec pristinae veraeque Sirenum naturae vestigia prodere.[1]) Attamen auxilia non desunt, quibus nixi Sirenum propriam vim et naturam optime investigemus; priusquam autem ad haec pertractanda incumbamus, unum addam argumentum, quo probato omnes de Sirenibus opiniones supra allatas corruere concedendum est.

Ad quamcunque enim rationem physicam aut ethicam viri docti Sirenes revocaverint, unam parum respexerunt vel plane neglexerunt rem atque eam gravissimam. Quid enim? num quisquam de forma Sirenum cogitavit, quas aves a veteribus fictas esse humanis capitibus praeditas, seu virgines, quibus volucrum femora, pedes, cauda, alae essent nemo nescit? Quid censemus illos excogitasse, ut causas ostenderent, quibus commoti Graeci „Musas maris“, malaciae seu Atabuli, fluctuum murmuris seu putredinis imagines mira ista sibi finxissent forma? At excogitarunt? Immo obmutuerunt. Plerique ne extremis quidem, ut dicitur, digitis rem attigerunt, quaeque reliqui, ut hanc solverent difficultatem commenti sunt, ad quaestionem explicandam nil valent.

En sunt exempla: Plewio[2]) pulchro virginis pectore, cui turpe volucris corpus additum est, cantus Sirenum significari videtur, initio ille quidem suavis et venustus, sed deinde perniciei et mortis auctor. An satis idonea haec sententia est, qua mira Sirenum forma explicetur? En in medium prodiit Schrader, qui Sirenes Atabuli imagines esse praedicavit. Egregius ille vir doctus nos docet[3]) formam volucris infor-

1) Summa rei haec est: Veterum viris doctis cum causas quaererent, et cur Sirenes forma e virginum et volucrum corporibus composita praeditae, et cur in Italia collocatae essent, verisimillimum visum est eas propter delictum, quod quidem prope Italiam commisissent necesse erat, in illam formam esse conversas. Itaque Sirenes Proserpinae famulae depictae sunt, quam quia in Sicilia flores legentem non servassent, iratae Cereri poenas dedissent. Accessit altera quoque causa, cur olim Proserpinae comites fuisse viderentur. Notum erat eas ab Euripide Proserpinae, inferorum reginae ministras inductas esse (Hel. v. 175s), quas ad superos mitteret ut Helenae maerenti maerentes adessent. Inde effectum est ut Sirenes ea aetate, qua veteres pristinae naturae, animarum nempe, immemores non iam scirent proprium earum domicilium in Orco esse, iam antea Proserpinae virginis in terra versantis ministrae et comites fuisse putarentur, cui etiam apud inferos et ipsae mortuae ministeria facerent. Fabula igitur illa ad aliam tantum declarandam et illustrandam posterioribus demum temporibus excogitata ad pristinam Sirenum naturam enucleandam nil valet.

2) Jahrb. f. Philol. 1869 p. 176.

3) Die Sirenen etc. p. 30s.

mis, vasti corporis, volandi facultate carentis — has enim sibi finxit Sirenes — quae ovis incubet, maxime idoneam fuisse ad calorem „incubantem“ — liceat mihi nostram loquendi consuetudinem his verbis imitari — significandum! Num plura audias argumenta ex egregio illo libro petita? Habeant sibi; alias quoque si inspexeris formae interpretationes, nullam ullius esse pretii ad tollendam de qua agimus difficultatem esse concedes.

Quaenam viri docti de Sirenum simulacris in sepulcris collocatis senserint.

Quoniam igitur ea pertractavimus, quae doctissimi viri de Sirenum natura collegerint, de quibus in Graecorum fabulis, imprimis in Odyssea legimus, nunc si placet, paucis perquiramus, quid de sententiis quas ad Sirenum simulacra sepulcris imposita declaranda proposuerint, diiudicandum videatur esse.

Quas quidem figuras ab eis Sirenibus, quae in Odyssea describuntur nec nomine nec forma differre gravissimis veterum et scriptorum et monumentorum testimoniis cum comprobatum sit. eadem interpretandi ratione adhibita utramque Sirenum speciem explicari necesse est:[1]) hoc autem scopulo omnes adhuc naufragium fecerunt interpretes.

Sed singula perscrutemur: iam intelligemus, quam perniciosam, quam praecipitem ingressi sint viam ei, qui Sirenum fabulam ad allegoriam quandam revocandam esse sibi persuaserunt.

Fieri non potuit, ut iidem viri docti[2]), qui figlina sigilla et vasa picta non nisi in mystarum sepulcris reperiri contenderent, quin et Sirenum simulacris tantum mysteriis initiatorum monumenta sepulcralia exornata fuissent dubitarent; quae quidem opinio quam vana quamque inanis fuerit, nunc pluribus exponere supervacaneum est.

Praetermittere quoque silentio liceat *Duetzschkei* sententiam[3]) Sirenum sepulcralium figuris pericula significari quae viventibus minitentur.

1) Quod quidem luce clarius videtur esse: At est virgo quaedam doctissima Harrison, quae cum iam antea nova atque ea mirabilia de Sirenibus pronunciasset, in libro qui inscribitur „Mythology and monuments of ancient Athens“ p. 584 necessitudinem quandam intercedere inter Odysseae Sirenes et inter eas, quae in sepulcris inveniuntur, omnino negavit; quin Martha diversa Sirenum genera exstitisse verisimillimum putavit (Gazette Archéol. XII. p. 270).

2) cf p. 6. — 3) Zerstreute Bildwerke in Oberitalien I, p. 61.

Omnia autem Sirenum simulacra sepulcris imposita cum pari ratione explicanda sint, in alio alia pro genere, familia, ordine sepultorum notio infuisse non potest. Quamobrem perversa *Ludwichius*[1]) cuius sententiam et *Cerquand*[2]) secutus est, excogitavit, cum, monumentorum scriptorumque testimoniis repugnantibus diceret Sirenibus virginum plerumque ornata fuisse sepulcra. Nec non eisdem de causis cadit et illa pervulgata et mirum in modum inveterata opinio, qua veterum[3]) et nostrorum[4]) temporum scriptores e Sirenum statuis, quas forte in sepulcris Sophoclis et Isocratis collocatas fuisse memoriae traditum est, collegerunt, interdum Sirenes eloquentiae et suavis orationis indicia fuisse, qua viri sub illis monumentis sepulti excelluissent.

Quibusnam porro causis Graecos adductos esse censemus, ut „Musas maris“ in sepulcris collocarent? Num naufragorum monumenta erant? At longe alio modo Graeci naufragorum cenotaphia quae vocant exornarunt. Illi in nave sedentes efficti sunt, „Musae vero maris“ neque cum his neque cum aliis anaglyphis sepulcralibus coniungi possunt. His quoque de causis ista interpretatio corruit. Nec magis idoneae quibus Sirenes sepulcrales explicentur illorum sane sententiae sunt, qui physicas quasdam notiones per monstrorum speciem expressas Sirenibus occultari putarunt; nam quid daemonibus, quos vel aequoris, vel malaciae imagines, quos stellas fuisse, vel nubes, vel serenae tempestatis deas Graeci existimassent, cum monumentis sepulcralibus est? Haud scio an nullam invenias ansam ad has tollendas difficultates idoneam. Sed videamus quid viri docti hac de re senserint. Quorum nonnulli rem se explicasse arbitrati sunt, cum dicerent Sirenes sepulcrales quasi mortis symbola esse, mortis scilicet homines suaviter allicientis[5]), cum etiam in Odyssea Sirenes nautas in mortem allexissent. Quod equidem quamquam non negaverim, tamen facere non possum quin omnino abnuam Graecos Mortem blanditiis suavibusque illecebris mortales pellicientem sibi finxisse. Accedit quod permulta et alia

1) Mus. Rhen. XLI. p. 610.

2) Rev. Arch. 1864, p. 301.

3) Pausan. I, 21, 2; Vit. Sophocl. 9. Vit. Isocr. 13 etc.

4) Cerquand: Rev. Arch. 1864, p. 300. A. Gilliéron: Monuments grecs publiés par l'association pour l'encouragement des études grecques en France 1877, p. 23. Harrison and Verrall: Myth. and monum. of ancient Athens p. 584. v. Leutsch: Philologus I, p. 131. Mitchell: Hist. of anc. sculpt. p. 495. Piper: Mythol. u. Symbolik I, p. 379. Stephani: C. R. 1866, p. 64, alii.

5) Michaelis, Arch. Zeit. 1866, p. 140.

fabularum monstra perniciosa erant, quae eadem ratione adhibita in sepulcris collocari poterant. Cur reliquis neglectis Sirenes delectae sunt quae isto munere fungerentur? Recorderis velim omnes illas rationes physicas, ad quas Sirenes revocarunt: iam concedes ita eas flecti debere, ita allegoricas illas interpretationes denuo per allegoriam verti, ut pristinae nihil omnino remaneat notionis. Hinc cadunt re minime expedita relicta.

Verum, si placet, cetera quoque perscrutemur. Nil dico de Sirenibus tibiis aut cithara canentibus. Ad exemplum earum, quae Ulixem carminibus delectare studuerunt, tibi effictae videantur esse, tuo fortasse iure. At quonam modo lugentes explices Sirenes, quae saepissime crines divellentes, pectora pulsantes in monumentis sepulcralibus repertae sunt? Quid ad has? Num unquam vidisti stellam aut malariam quam medici dicunt, maerentes? Singula perlustrans risum vix tenebis.

Quem ad luctum Sirenum explanandum permulta protulerunt viri docti, plerisque hac probata sententia: Non solum maris Musas esse Sirenes, quin etiam lamentationis funebris.[1]) At quoslibet invocaverim quicunque Graecorum studuerunt litteris, quamvis in medium provocaverim qui apud veterum scriptores lamentationis funebris aut naeniae invenerint Musam, omnes tacent. Et cum te iusserim me docere quaenam fuerit talis Musa naeniarum, quibusnam rebus distulerit ab eis quae vulgo dicuntur Musae aut cum eis cohaeserit, nonne obmutesces? Talia deliberantes alii viri docti Helicone relicto Sirenibus familiarum de morte defuncti lamentationem significari contenderunt[2]) dicentes Sirenis maerentis marmore exsculptae simulacro sempiternam familiaribus etiam mortuis luctus servari memoriam[3]).

Praeclara illa quidem videtur esse interpretatio atque ea quae optime consentiat cum pio illo et liberali Graecorum

---

1) Gilliéron: Monum. grecs 1877, p. 23. Friederichs-Wolters: Gipsabgüsse, ad n. 1093. Martha: Gaz. Archéol. XII, p. 269. Panofka: Arch. Zeit. X, p. 477; id Museo Bartoldiano p. 81; alii.

2) Fröhner: Une collection de terres-cuites (Darthès), Gazette des Beaux-Arts 1887, p. 269. Furtwängler: Sammlung Sabouroff, II, praef. p. 19. Martha: Gaz. Arch. XII, p. 269. Langbehn: Flügelgestalten d. ält. griech. Kunst p. 58. Pottier-Reinach: La nécropole de Myrina p. 149s. Stephani: C. R. 1866, p. 64.

3) Cerquand: Rev. Arch. 1864, p. 300. Conze: Griech. Götter- u. Heroengestalten p. 44. Friedländer: De operibus anaglyphis in monumentis sepulcralibus 1847, p. 33. Mytchell: l. l. p. 495. Nitzsch: Anm. zur Odyssee III, 370. Patroni: l. l. p. 332.

animo, quippe qui aeterni mortuorum amoris testimonium exstruxerint; una tamen relinquitur difficultas gravissima, quaestione scilicet cur *Sirenes* lamententur exorta. Quid enim? Lugentne in Odyssea Sirenes? An vero istas, quamvis funestus nautarum mortis auctor suavis dulcisque cantus exstiterit, postea homines sua ipsarum arte absumptos lugere censes crines vellicando, pectora pulsando ipsarum videlicet crudelitatem maerentes? Pace mea fabula Homerica totius interpretationis exordio et fundamento utantur physicae quam dicunt mythologiae dediti: at quaecunque de Sirenibus scriptorum et monumentorum testimoniis tradita sunt, solis ex Homeri carminibus explicari, ex ista fabulae forma simpliciter et nulla vi adhibita derivari posse equidem meo sane iure postulo, concedant necesse est in Odyssea lamentantium Sirenum mentionem omnino non fieri nec luctum e naturae contemplatione declarari posse. Sed agedum videamus quae ad hanc profligandam quaestionem opiniones in medium prolatae sint.

Nitzschius[1]) igitur discrepantia haec Sirenum genera in unum redigere studuit coniciendo ex pristina Sirenum notione, cantatricum scilicet mortiferarum, eam esse factam, ex qua ipsae cantatrices funebres, ipsius *θρήνους* imagines putarentur esse. Sed nescio an quidquam auxilii ad nodum expediendum ex hac explicatione percipiamus, neque enim fabulae Homericae ita mitigatae, ne dicam depravatae apud ullum occurrit scriptorem vestigium, nec cognoscitur, quinam fieri potuerit, ut mortifer Sirenum cantus in naeniam commutaretur. Nec lucramur quidquam eis probatis, quae *Plewius*[2]) ad hanc sententiam fulciendam excogitavit: Posteris temporibus Graecos Homeri Sirenibus flebiles cantus attribuisse, magis etiam idoneos ad nautas pelliciendos. Quibus et vulgi et poetarum opinione acceptis fieri non potuisse, quin cantatrices istae quasi divinae haberentur lamentationis funebris patronae. Videsne quo pede claudicet haec interpretatio? Quam si secuti erimus et naeniis ipsis allici homines et perire arbitremur necesse erit.

Longe alia Sirenibus significatione subiecta *A. Maury*[3]) Sirenes cum in Odyssea canendo terrorem mortis permulsissent et levassent, sepulcris, ut eodem munere fungerentur, impositas esse dixit. Quarum altera si recto talo staret sen-

---

1) l. l. III, p. 370.

2) Jahrb. f. Philol. 1869 p. 173.

3) Rev. Arch. IV, p. 744.

sentia alteram bene inventam esse libenter concederem, at ittius muneris vestigia in fabula ab Homero tradita non inveniuntur. Eadem de causa et *Heuzeyi*[1]) sententia reicienda est, qui Sirenes „des génies funèbres, associés à Perséphone et chargés d'accompagner les morts de leurs chants" appellavit.

Quamquam quid opus est pluribus? Ex eis quae protuli, cum satis ac dilucide apparuerit lugentes Sirenes, quae in sepulcris adspiciantur, explicari non posse Homeri fabula quasi fundamento adhibita, alia omnino ingredienda est interpretandi via. Accedit quod nil adiuvamur ei, quae humanissimo viro *E. Curtio*[2]) placuit, sententiae adstipulati Sirenem, Veneris speciem, sepulcretis praeesse haud aliter atque Venerem Epitymbiam. Nam non solum coniectura falsa est, sed etiam lamentantes Sirenes non explicantur, Venere nempe non lamentationis funebris patrona.

At quam ipsi quaerendi ineamus rationem? Num desperantes cum *Froehnero*[3]) dicamus nescire nos quam ob causam Graeci Sirenes, non Musas in sepulcris collocassent, aut *Marthae*[4]) assentiamur fatenti verisimillimum esse eodem tempore diversissimas Sirenibus fuisse notiones, modo pertinentes ad lamentationem et luctum, modo ad funestam quandam et mortiferam vim, modo ad res infernas, modo ad aeternas? Mihi quidem interpretatio tam multiformis, qua omnia certe demonstrare licet aut negare, nulla videtur esse.

Integra ergo nobis relinquitur quaestio, quam ob causam Graeci Sirenum simulacra in sepulcris collocaverint, quaeque primaria fuerit et genuina Sirenum vis et natura. Itaque ut breviter complectar, quae ex quaestione adhuc habita effecisse mihi visus sum, haec statuo:

Diversissimis sane de Sirenum natura opinionibus excogitatis quamquam in omnibus mundi partibus pristinam sedem, in omnibus fere quaecunque terra marique vel in coelo fiunt, physicam propriamque earum formam agnoscere studuerunt viri docti, nobis nulla probanda visa est, neque id, credo, inanibus futilibusque causis commotis. Quae cum ita sint, apparere mihi quidem videtur non tam singulas virorum doctissimorum perversas fuisse sententias quam totam inquirendi rationem et disciplinam.

Tum vero duo imprimis vitanda nobis sunt vitia denuo quaestionem de Sirenum propria vi et natura instituentibus:

1) Catal. des figurines ant. de terre-cuite du Musée du Louvre, introd. p. 12.
2) Arch. Zeit. 1871, p. 11.
3) cf p. 16 n. 2.
4) Gaz. Arch. XII, p. 270.

Primum funditus eorum reiciamus opiniones, qui e naturae contemplatione non solum Sirenum fabulam, sed etiam cuiusvis religionis et mythologiae primordia orta esse contenderunt.

Deinde caveamus ne in alterum incidamus vitium, quo adhuc laborasse Sirenum interpretes cognovimus: Quaestionis scilicet initium neque petendum esse a notissima illa Homeri de Sirenibus narratione, neque nimis premenda ea, quae Odysseae auctoritate et gravitate adducti ad istam amplificandam et exornandam imaginem excogitaverint recentiorum temporum scriptores. Ad unam denique omnia, quae litterarum monumentorumque testimoniis de Sirenibus tradita sint, per se nullaque vi adhibita quadrare necesse esse interpretationem.

Silentio vero praetermittere nefas est non omnino defuisse viros doctos, qui omnibus physicis et symbolicis rationibus remotis Sirenes aggressi rectam explicandi viam expedire studuerint.

Quo in numero primus laudandus est *A. Maury*[1]), qui cum multis abhinc annis in duabus dissertationibus, ab omnibus qui postea de Sirenibus scripserunt, omnino neglectis, obiter Sirenes attigisset, Plutarchi verbis (Quaest. Conv. IX, 14, 6) nisus dixerat Sirenes daemones esse qui defunctos deducerent, similemque notionem fabulae Homericae subiectam esse suspicatus.

Secundus prodeat *H. D. Müller*[2]), qui a Sirenibus maerentibus in sepulcris collocatis profectus declaraverat tantum afuisse, ut postea illa Sirenibus attributa esset provincia, ut ex initio ita earum propria esset, ut ab illa ipsa Sirenum origo petenda esset, pluribus de Sirenum natura non allatis.

Quem cum secutus esset *Ussing*[3]), qui statuit aves humana capita gerentes, quae in Graecorum artis monumentis invenirentur, non ipsas esse animas, sed animarum comites et ministras, nuperrime vir doctissimus *Crusius*[4]) firmo stabilique fundamento exstructo, novam Sirenum naturae investigandae viam aperuit commentatione egregia quae inscribitur: „Die Epiphanie der Sirene."

Multis autem eorum quae aut disseruit aut obiter tan-

1) Des divinités et des génies psychopompes, Rev. Arch. Sér. I. I, p. 510s. Du Personnage de la Mort et de ses représentations dans l'antiquité et au moyen-âge, Rev. Arch. Sér. 1, IV, p. 744s.
2) Ares, 1848, p. 112.
3) Nye Erhvervelser til Antiksamlingen i Kjöbenhavn, Kong. Danske Videnskabernes Selskabsskrifter V, p. 152s.
4) Philologus L, p. 97ss.

tum attigit, haud mediocriter me adiutum esse in hac conscribenda dissertatione libenter gratoque confiteor animo, qua demonstrare studebo *revera Sirenes mortuorum esse animas*, ex ista unice vera atque propria illarum vi et notione omnia simpliciter et recte intelligi et explicari posse, quae apud scriptores veterum discrepantia inter se atque diversa legantur omniaque quae in artis monumentis adspiciantur simulacra avium humanis praeditarum capitibus animarum aut esse imagines aut ex iis saltem derivata esse.

Recta autem via cum progredi non possimus, immo circuitionibus et ambagibus in quaerendo uti debeamus, mihi ut ignoscant qui legent oro rogoque, quippe qui nota ac fere tritissima initio disputationis recoquere cogar.

II.

Quibusnam intelligi possit indiciis Sirenes defunctorum fuisse animas quaeque earum fuerit provincia.

Tristissinam apud Homerum defunctorum manium esse sortem inter omnes constat. Funere enim patrio more confecto postquam ad inferos pervenerunt, nec mentis nec sermonis compotes in Orco vagantur, umbrae miserrimae eorum qui olim vixerant. Omni denique ad solem redeundi facultate interclusa et interdicta nullo viventium frui possunt manes commercio, nec damno eis esse nec saluti.[1]

At semel e somnio experrecti denuo lingua et mente potiuntur, ad vitam denique redeunt corporibus tantum solidis carentes: sanguine nempe hostiarum ab Ulixe immolatarum exhausto.[2] Simulatque enim sanguis in foveam fluxit, ingentes undique concurrunt manium turbae[3]) et fossam ob-

1) Plura de notissimis his rebus disseruerunt Rohde: Psyche p. 3s.; Naegelsbach: Homer. Theologie[2] p. 399s.; Welcker: Griech. Götterl. III, p. 809s.; alii.

2) Odyss. XI, 133, 232, 390 etc.

3) Od. XI, 36.

sident sanguinem bibere concupiscentes.[1]) Inde efficitur umbras non modo non nescire se sanguine poto vitam mentem linguam esse recuperaturas, sed etiam desiderio eius excruciatas esse quasi rei diu atque aegre desideratae, siti fameque confectis similes, quibus mensa ostenditur conquisitissimis epulis exstructa.[2]) Manes igitur defunctorum tristissimam illam sortem sortiti, mente ac vita omnino privati sunt, propterea quod cibo ac potione sibi necessariis caruerant, sanguine vesci nequierant. Sanguis ergo proprius mortuorum cibus est, quo vescentes mentium non solum, sed etiam virium compotes fiunt, hominum commercio fruendi facultate praediti. Quae opinio, praehomerica illa quidem, etsi repugnat cum omnibus ab Homero aliis locis de manium vita et consuetudine traditis, tamen non est cur hanc sententiarum discrepantiam miremur. Omnibus enim nec non Homeri temporibus et antiquiores et recentiores una floruerunt sententiae, quamvis sibi contrariae, quin antiquissimae persaepe recentissimis temporibus reviviscunt.[3]) Eae autem de deorum vita vi forma, de manium figuris et consuetudinibus, quaecunque denique de rebus sacris et divinis ab Homero traditae sunt opiniones, neque antiquissimae sunt neque eodem tempore omnibus Graeciae gentibus probatae in omnibus Graecorum urbibus, omnium mentibus valuerunt. Tantum enim abest ut Homerus seu ei qui illa carmina confecerunt, omnium quae tum viguerunt de rebus divinis opinionum et fabularum periti fuerint, ut ne ea quidem quae cognita haberent, omnia carminibus inseruerint. Aliis autem in Graeciae partibus aliae sententiae aut ab Homericis discrepantes aut Homero antiquiores integrae permanserunt neque illarum quae Homericis carminibus traditae erant, auctoritate ac dignitate exstinctae perierunt. Quae quidem superstitiones vulgi, sermone hominum, non librorum fide posteris traditae, continua sententiarum serie ita per saecula propagantur, ut quamvis interdum obscuratae et oblivione obrutae videantur esse, subito reviviscant, maiorem nescio quo pacto auctoritatem nanctae. Cum vero a scriptoribus plerumque neglectae sint, singulorum temporum singula testimonia aut non exstant aut talia persaepe quae cum vulgata opinione

1) Od. XI, 49, 82, 88, 228.

2) Recte dixit Naegelsbach, l. l. p. 401, manes sua natura duce adpelli, ut sanguine poto vitam restituerent; quare Tiresiam quoque sanguinem bibere etsi mentis linguaeque compotem.

3) Furtwängler: Samml. Sabouroff I, praef. passim. Lippert: Die Religionen der europ. Culturvölker, passim. Rohde: Psyche, passim.

pugnent. Neque enim homines superstitiosi curant utrum ea quae a proavis didicerunt eadem sint quae a poetis et scriptoribus de deorum vi et natura promulgantur necne. Quod quidem cum de omnibus opinionibus, tum de eis valet, quae de morte, de defunctorum forma moribus provincia creduntur. Quamvis multae cultus et humanitatis, gentium et morum commutationibus recentes exstiterint his de rebus sententiae, semper antiquissimae quoque vigent, etsi cum novis omnino non possunt coniungi aut consociari.[1]) Caveamus igitur veterum superstitionum enucleandarum studiosi ne opiniones quae apud posteriores demum inveniuntur scriptores per se recentiores habeamus Homero, poetam neque omnia tradidisse sua aetate vulgata neque antiquissimam servasse fabularum formam memores. Et hoc etiam de Sirenibus, quippe quae haud parvas in Graecorum superstitione egerint partes, pro certo statuendum est. Quae cum ita sint sola Homeri fabula quaestionis fundamento uti non licet.

Sed revertamur unde disputatio exorta est.

Quoniam manibus opinione Graecis ante Homeri tempora probata et sanguine ad vivendum opus fuisse et tristes illos factas esse umbras sanguine carere coactos cognovimus, quaeritur quibusnam de causis sanguini tanta attributa fuerit vis et facultas, ut illum sitiant mortui, non istos quibus vivi vesci consueverant cibis. Quam ut persolvamus quaestionem auxilio mihi quidem videtur esse superstitio antiquissima cum apud omnes fere terrarum gentes[2]) tum apud Graecos[3]) pervulgata, qua sanguinem non solum artissime cohaerere cum anima, sed etiam eius sedem esse putarunt. Anima igitur seu umbra sanguine poto non modo alteram comedit animam, quin, cum eas quoque quas ista habuerat vires vitales bibendo sibi ipsa adsciverit, duplici postea fruetur vivendi facultate. Ergo non tam sanguinem ipsum appetunt quam alias quibus corroborentur animas. Ex quo efficitur omnes inferias mortuis mactatas ex ea ortas esse sententia, qua constaret animas omnes ad unam sanguinis concupiscentes esse, hominum nimirum sanguinis, denique, ut haec quoque obiter perstringam, insatiabilem illum manium sanguinis sitim, quem nostris temporibus „vampyrismum"

1) cf. Furtwängler l. l. p. 15s.

2) Lippert: Der Seelencult p. 60, 69s., 118s. — Relig. der eur. Culturv. p. 5s.

3) Iliados conferendi sunt versus, quibus poeta animam e volnere, h. e. cum sanguine e volnere effluente fugientem facit. (Il. XIV, 518; XVI, 505, 856).

vocamus, causam exstitisse non solum cruentarum inferiarum, sed etiam omnium quae ad funera pertinent sacrorum[1]), cultus heroum, quin fortasse deorum. Omnia enim sacra, quibus sanguis manibus defunctorum offertur, ob eam tantum causam instituta sunt, ut illis necessarium praeberent cibum, quo hausto viventibus propitii fierent. Non pietate aut religione, sed metu et terrore mortuorum homines ad cruenta instituenda sacra impulsi sunt, timidi ultro manibus placandi causa cum sanguine animas obtulerunt. Cum autem consentaneum sit neque homines id spectasse ut quemquam placarent propitiumque sibi redderent, nisi cui summam nocendi et vim et voluntatem attribuissent, neque nocendi facultatem manibus fuisse communi omnium mortuorum conventu retentis commercioque viventium omnino privatis, statuendum sit necesse est antiquissimis illis temporibus quibus sanguine in sepulcris libato[2]) manes placaverint, homines persuasum habuisse defunctorum animas non solum in ipsis sepulcris habitare[3]), sed etiam inde iratas viventibusque infensissimas in lucem redire, ut ipsae necessarium sibi acquirerent cibum et sanguinem, hominibus scilicet, aliis animis adhuc vita fruentibus arreptis.

Quae quidem quam inveterata apud Graecos fuerit opinio cum ex aliis tum e Sophocl. Oed. Col. v. 621 s. agnoscere licet, quibus poeta Oedipum minantem inducit his verbis:

οὑμὸς εὕδων καὶ κεκρυμμένος νέκυς
ψυχρός ποτ' αὐτῶν θερμὸν αἷμα πίεται.

Nec alia sententia Euripidis Hecubae versibus 536 s. subiecta est, quibus a Neoptolemo patris animam invitatam esse ut Polyxenae sanguinem exhauriret, his verbis accepimus:

ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ' ὅ σοι δωρούμεθα.

Pluribus exemplis mihi opus esse non videtur[4]), unum affero

1) Sacra ab Ulixe manibus immolata non prima vestigia cultus heroum esse, sed reliquias sensu fere carentes optime disseruit Rohde.

2) Quanta copia sanguinis per aram tubi forma exstructam infusi Mycenis regum manes satiati sint, optime ex ea re apparet quod trabes, quibus sepulcrorum tecta fulta erant, humore putrefactae corruerunt. Conferenda sunt ea quae Pausanias (X, 4, 10) de hostiis Thronide Xanthippo heroi mactatis, quibus incolae sanguinem per tubum in sepulcrum infuderunt, memoriae tradidit. Simili consuetudine Athenienses quoque adducti sunt, ut vasa fundo carentia in sepulcris collocarent.

3) Hanc opinionem per totam viguisse antiquitatem viri clarissimi Furtwängler et Rohde libris saepius laudatis praeclare demonstrarunt.

4) Alia contulit exempla B. Schmidt: „Das Volksleben der Neugriechen" etc. p. 168s.

tamen ex posterioribus antiquitatis temporibus petitum. Nota est fabula a Philostrato in Heroicis[1]) tradita Achillem defunctum, qui Leuce in insula sempiternam ageret vitam, Troicam quandam sibi flagitasse virginem traditamque membratim dilacerasse. Quamvis absurda sit narratio, quamvis depravata et pristina destituta sententia: ex antiquissima illa nata est opinione qua mortuos sanguinem sitire, viventium animas arripere putarent.[2])

Ad nutriendos igitur cum constet defunctorum manes a superstitibus sanguinem oblatum esse[3]), dubitandum non est quin pristinis temporibus manibus homines pro victimis mactati sint.[4]) Hominum enim animae maxime idoneae fuerunt quibus manes corroborentur. Abolito isto foedo et crudeli more postquam hostias hominibus interficiendis substitui mitior iussit aetas, moribus iterum mollitis non iam sanguine vesci videbantnr animae, sed eis quibus ipsi nutriebantur vivi homines cibis: Inde incruenta mortuis sacrificia oblata coenaeque instituti coeptae sunt funebres, quibus ipsas interesse cibisque vesci animas veteres sibi persuaserant.[5])

Verum ab his mitigatis moderatisque moribus iterum

---

1) II, p. 215 ed. Kayser.

2) Qua interpretatione probata Hollandii, viri doctissimi sententia cadit, qua aut bacchicum aliquid in Achille inesse hac fabula demonstrari, aut falso eam ad Achillem delatam esse ratus est. (In programmate Lipsiensi a. 1895 edito „Heroenvögel in der griechischen Mythologie“ p. 11.)

3) Quam diu talis valuerit opinio optime elucet ex illis sacris, quibus *αἱμακουρίαις* nomen inditum erat. (Plut. Arist. c. 21 . . *παρακαλεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἀποθανόντας ἐπὶ τὸ δεῖπνον καὶ τὴν αἱμακουρίαν.* Cf. schol. Pind. Olymp. I, 90: *αἱμακουρίαις) τοῖς μεθ' αἱμάτων γενομένοις ἐναγισμοῖς . . ἡ δὲ ἐτυμολογία ἀπὸ τοῦ κορέννυσθαι τὰς ψυχὰς αἵματος.*

4) Posteriore etiam aetate crudelis illa permansit consuetudo. cf. Herod. VII, 134, 137; Plut. Pelop. c. 20s.; Porphyr. De abstin. II, 54; Meyer, Geschichte des Altertums II, 96; Roscheri Lexic. Mythol. I, p. 2504.

5) Optime hac de re disseruit vir clarissimus Mogk, in commentatione „Germanische Mythologie“ inscripta p. 999s., 1119s., Pauli compendio: „Grundriss der germanischen Philologie“ quae inserta est. Cf. Furtwängler: Samml. Sabouroff I, praef. p. 16. De more Graecorum heroes ad coenam rogandi cf. Wasneri dissertationem „De heroum apud Graecos cultu“ Kiliae 1883, p. 12s. Veterum huius consuetudiuis testimonia Stephani, qua erat industria scriptorumque notitia collegit, C. R 1865 p. 6s. Quae quidem quam diu viguerit opinio cognoscere licet e Luciani verbis (De luctu c. 9) qui *τρέφονται δέ,* inquit, *ἄρα ταῖς παρ' ἡμῖν χοαῖς καὶ τοῖς καθαγιζομένοις ἐπὶ τῶν τάφων. ὡς εἴ τῳ μὴ εἴη καταλελειμμένος ὑπὲρ γῆς φίλος ἢ συγγενὴς, ἄσιτος οὗτος νεκρος καὶ λιμώττων ἐν αὐτοῖς πολιτεύεται.*

revertamur necesse est ad crudeles istos pristinorum temporum supra patefactos.

Sanguinis enim bibendi necessitate coacta cum unaquaeque defunctorum anima, simulatque a posteris neglecta est, ipsa viventes aggrediatur, ut morte eis illata cum sanguine anima potiatur, tantum abest ut natura benigna familiaribusque propitia sit ulla, ut optimi cuiusque et potentissimi anima infestissima sit nisi debitis placata enagismatis. Adeo igitur non pristinos, qui viventium proprii erant servarunt mores, aliae scilicet semper mansuetos et salutares, aliae semper maleficos[1]), ut pari omnes ad unam foeda excruciatae sanguinis siti pari nocendi impellantur voluntate.

Sed ne temere haec proposuisse videar, alteram quoque afferam causam, cur manes atroces sint et hominibus infesti.

Pristinis scilicet hominibus et mors semper odiosissima et terribilissima videbatur esse res, et infestissima anima e corpore egressa. Quid? Omnibusne vitae voluptatibus orbata erat, omnibus quibus viva fructa erat delectationibus? Ira itaque et invidia illorum inflammata qui adhuc vita et sole fruerentur, iniuriam sibi ipsi illatam ulciscendi causa alios quoque animis arreptis in eandem miseram sortem redigere conabatur.

Quantam autem in manibus nocendi esse facultatem Graeci existimaverint, quantam nocendi cupiditatem vel ex eo colligere licet, quod ex quovis vehementiore animi corporisve affectu statim suspicio incessit, ne manibus auctoribus ortus esset, quod non solum animi angores et perturbationes a larvarum impetu proficisci putabantur, sed etiam corporum morbi subiti, *ἀποπληξίαι* quae a medicis vocantur, inopinata nex, omnes denique pestes et morbi, quibus homines causa haud satis perspicua afficiebantur, a malignis effecti videbantur esse animis, quae corpore potitae homines vexarent ac cruciarent, donec ad mortem redactorum animas secum arriperent. Notae etsi huiusmodi fabulae sunt[2]) unam addo qua manes in corpora immanare dicuntur. Legimus apud Josephum, De Bello Jud. VII, 6, 3: *Τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια πονηρῶν ἐστιν ἀνθρώπων πνεύματα, τοῖς ζῶσι εἰςδυόμενα καὶ κτείνοντα τοὺς βοηθείας μὴ τυγχάνοντας.*

Pervulgata vero omnium fere gentium opinione traditur

---

1) Haec sententia proposita est ab Hartungio: Relig. u. Mythol. II, p. 16.

2) Lobeck: Aglaophon p. 637s.; Riess: Mus. Rhen. 1894, p. 181; Rohde: Griech. Roman, p. 387 adn; Psyche p. 225, 4; 376. cf. Babick: De deisidaemonia veterum quaestiones. Diss. Lips. 1891 p. 23.

alteram animam mortis alterius auctricem exsistere. Paucas fabulas e Romanorum superstitione procreatas commemoro. Nemo nescit fabulam ab Ovidio in sexto Fastorum libro memoriae traditam: Neglexerant Romani Parentalia manibus devota: in lucem reversi mortuorum greges simulac domus inierunt, homines mortui sunt, a manibus scilicet arrepti.

Striges porro, quae nocte infantium animas exhausto sanguine abstulerunt ipsae defunctorum manes erant. Sed de his postea plura. Permultae denique feruntur fabulae de incubis aut succubis[1]) quos dicunt, qui nocte dormientes invadunt vexant suffocant interimunt.

Sed ne huius Graecorum superstitionis testimonia deesse videantur, Gello phantasma fuisse dicitur virginis mortuae, quae pueris mortem inferret.[2]) Fabulas porro dico quibus homines ab heroibus, quos defunctorum manes fuisse consensu omnium constat, circumvagatis interfecti esse narrantur.[3]) Eo denique deisidaemoniae progressos esse Graecos nemo nescit, ut ipso adspectu herois aut phantasmatis homines caecari, violari, interfici crederent.[4])

Plura proferre possum exempla[5]), sed nolo longus esse: ex eis quae attuli non solum satis apparere mihi quidem videtur commune omnium animarum studium sanguine exhausto animas arripiendi, sed etiam causa et origo huius superstitionis.

Jam quorsus haec tam longa spectaret investigatio de

---

1) De hac animarum seu daemonum natura et consuetudine amatoriam quandam redolente rationem infra nobis plura disserenda erunt (cf. p. 37s.). Caveas ne cum his quae modo disputavimus pugnare putes, quod nostris temporibus illi daemones, qui noctu dormientibus insilientes eos equitando strangulant, non mortuorum, sed viventium habentur animae, e corporibus somno lassis egressae. Exempla enim cumulari possunt, quibus primaria harum fabularum forma mortuorum manes tali munere functos esse intelligitur. Sed quoquo modo res se habet, anima sane ab anima arrepta est.

2) Zenob. III, 3. (Sappho fr. 47) Ex ea re quod Gello *εἴδωλον Ἐμπούσης* fuisse traditur, Empusam quoque et Lamiam defunctarum animas fuisse efficitur.

3) cf. Rohde, Psyche p. 180. Adde ea quae Philostratus (Heroic. II, p. 212) et Amm. Marcellinus (XXII, 8, 35) de Achilleo Leuce in insula versante tradiderunt.

4) Herod. VI, 117; Schol. Arist. Av. 1490.

5) cf. Laistner: Das Rätsel der Sphinx I, p. 9, 34s., 51s. Lippert: Der Seelencult et Relig. d. europ. Culturv. passim; Schwenck: Mythol. der Slaven p. 281. Multa collegit exempla e nostrorum maiorum fabulis sumpta Mogk: Germ. Mythol. p. 1004, 1011, 1015s. Virgines exempli gratia commemoro coelestes, quae viros fortissimos in pugna interfectos in coelum detulerunt.

animarum natura et de religionum primordiis habita intellexisti. Fieri enim non potuit quin antiquissimis iam temporibus ex ingenti animarum sanguinis avidissimarum turba quaedam segregarentur, quae prae ceteris foedo illo hominibus interfectis animas auferendi munere fungi viderentur.

Quarum primas affero *Κῆρας* — Graeco mihi liceat nomine uti —, quas quidem animas fuisse optime demonstravit nuperrime vir humanissimus O. Crusius duabus commentationibus egregiis, quarum altera inserta est Erschi et Gruberi encyclopaediae, altera Roscheri lexico mythologico utrique lemmate *Κῆρων* indito. Singula perscrutare a poetis de istis daemonibus memoriae tradita: iam concedes omnia optime quadrare ad communem omnium animarum vim et naturam. *Κῆρες* enim omnibus locis mortales persecutae invadunt et sanguine exhausto ad inferos deferunt.[1])

Eodem munere *Furiae* quoque funguntur, quas revera interfectorum animas esse cum iam compluribus abhinc annis Lippertus[2]) intellexit, tum nuperrime Crusius[3]) et Rohde[4]) firmissimis argumentis demonstraverunt. Supra omnes animas iratas vita et voluptatibus relictis ad inferos descendere comprobavimus: quanto infestiorem eam fuisse censes quae cupiditate inimicum per quem vita privata erat, pari afficiendi iniuria, interficiendi, flagrabat![5]) Et exhauriunt sicarii sanguinem.[6])

Neque alia *Harpyiarum* erat provincia. Nam falsa et

---

1) Scut. Heracl. 251s.: *πᾶσαι δ' ἄρ' ἵεντο | αἷμα μέλαν πιεεῖν.* 225: *αἱ δὲ φρένας εὖτ' ἀρέσαντο | αἵματος ἀνδρομένου.* Il. II, 302, Od. XIV, 207: *τὸν Κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι | εἰς Ἀΐδαο δόμους.*

2) Relig. d. europ. Culturv. p. 281, 367.

3) Roscheri Lexic. Mythol. II, p. 1162s.

4) Psyche p. 241: Mus. Rhen. L, p. 7, 13s.

5) Debilitatam hanc sententiam atque eam quae vestigia tantum pristinae superstitionis prodeat, testatur Xenophon cum dicat (Cyrop. VIII, 7, 18) *τὰς δὲ τῶν ἄδικα παθόντων ψυχὰς οὔπω κατενοήσατε, οἵους μὲν φόβους τοῖς μιαιφόνοις ἐμβάλλουσιν, οἵους δὲ παλαιμναίους τοῖς ἀνοσίοις ἐπιπέμπουσιν;* Inde elucet tum hominibus persuasum fuisse manes eorum qui iniuria affecti essent, non iam ipsos in terram reversuros ut nefarios ulciscerentur, sed huic muneri *παλαιμναίους* praefecturos esse, nempe ex ipsis animis derivatos. Homerus quoque profert sententiam simili modo commutatam de eorum sorte et vi, qui non debitis funeribus sepulti sunt. Neque enim Hectoris manes (Il. XXII, 358) neque Elpenoris (Od. XI, 72) ipsi funeris neglecti ultores exsistunt, sed deos se iniuriae sibi illatae vindices provocaturos esse minantur. Sed de his rebus plura si de ea necessitudine quaeremus, quae inter commune omnium defunctorum domicilium, quale ab Homero depingitur, intercedat et inter daemones a poeta commemoratos.

6) Rohde, Psyche p. 246.

perversa de earum propria vi et natura excogitata esse ab illis, qui eas ortas esse contenderent e procellarum contemplatione[1]), iidem viri humanissimi Crusius[2]) et Rohde[3]) egregie comprobaverunt. Superstitione enim apud omnes fere gentes pervulgata constitutum est animas et ventos artissime inter se coniunctos esse et colligatos. Nam cum una cum spiritu vita quoque abisset, apparuitne spiritum eum fuisse quo mortuus vixisset? Spiritus vero cum ventus lenis sit et in ventos abierit, anima quoque ventus sit necesse est, ventus videlicet lenis, si placata est et benigna, violentus et atrox, si infesta est et irata, saeva denique procella anima est, si animas, h. e. spiritus arripere studet.[4])

Sed notissima repetere nolo. Itaque ut paucis complectar quae ex quaestione modo instituta effecta sunt, haec pro certo statuta esse mihi quidem videntur: Quamvis diversa nomina eis daemonibus, quos obiter commemoravi, a veteribus indita fuerint, una tamen re omnes artissime coniunguntur et quasi vinculo inter se connectuntur: insatiabili sanguinis exhauriendi appetitu, animas arripiendi studio. Quod quidem omnibus

---

1) Reliquorum qui de Harpyiarum natura inquisiverunt, turba neglecta, paucis commemoro quas nuperrime duo viri docti Britannici proposuerunt sententias. Quorum alter, C. Smith, in commentatione quam „Harpies in Greek art“ inscripsit (Journ. of hell. stud. 1893, p. 104s.) duabus picturis vascularibus, Cyrenis et Daphnis confectis fundamento quaestionis usus adducere nos studet ut credamus Harpyias esse „a category of the abstract influences of evil“ fervidorum scilicet Africae ventorum; inde verisimile esse Harpyiarum fabulam ortam esse in coloniis Africanis. Quod quidem cum perverse statutum est, tum neque recte eum istas picturas explicasse arbitror neque ea stare, quibus Harpyias nunquam volucres fictas esse humanis capitibus praeditas demonstrare conatur. Sed de his alio loco plura. Nec melius excogitata esse mihi videtur sententia ab altero viro docto Cook in commentatione „Animal worship in mycenaean age“ (Journ. of hell. stud. 1894, p 147) prolata. Eodem enim quo Smithius, non fragili tantum sed omnino fallaci fundamento nisus non solum equinam Harpyiis antiquissimam attribuit formam — obsoletam illam totiensque refutatam recoquens opinionem qua equum persaepe in anaglyphis sepulcralibus effictum defuncti ad inferos significare iter putarunt, artissimeque illum cum equinis istis Harpyiis cohaerere ratus — quin etiam Hippalectryonem quod vocant monstrum, Harpyiam esse contendit! Credat Iudaeus Apella!

2) Roscheri Lex. Myth. II, p. 1164s.

3) Mus. Rhen. L, p. 2s.

4) Hanc quae intercedit inter animam et ventum necessitudinem pluribus iam abhinc annis demonstrarunt Lippert: Seelencult p. 7s; Relig. d. eur. Culturv. p. 5; Mogk: Germ. Mythol. p. 1002s., 1048; Roscher: Hermes der Windgott p. 54s.

innatum fuisse animis, omnibus peculiare defunctorum manibus satis dilucide demonstravimus.

Sed quid Furias et Harpyias commemoro? *Sirenum* nonne eadem est vis et natura?

Fabula scilicet Homerica — nunc enim firmis stabilibusque quaestionis fundamentis positis mente non iam occupata Homero teste uti licet — memoriae sane traditur nautas a Sirenibus suaviter dulciterque canentibus cum novam se praebituras et ignotam sapientiam polliceantur, allici ut navem ad insulam appellant. Audivit nauta, accessit dulcedine captus — quid postea? Sempiterno illum gaudio affectum iri arbitraris? Quid? quod periturum infelicem diserte ac dilucide ex Homeri verbis apparet? En ossa, cadavera putrescentia! At Sirenes ipsas mortis insontes fuisse testes sunt veterum viri docti, qui nautas carminum venustate et dulcedine captos cibi immemores fame sitique postremo confectos esse tradiderunt.[1]) Num recta tradiderunt? Immo ea recordemur quae omnium Graecorum monstrorum, omnium animarum propria fuisse intelleximus, ut ipsae homines aggressae animas auferrent. Nec alia Sirenum quoque pristina fuit fabula. Cur canunt Sirenes? Utrum delectare tantum nautas voluerunt, an ipsas commodi quid ut canendo perciperent studuisse verisimile est? Putasne Sirenes revera tam diu vocum suavitate audientes oblectasse donec fame sitique confecti perissent? Quid inde lucratae sunt? Immo ipsarum, non nautarum causa Sirenes cantarunt, nautarum allectorum videlicet ut animas arriperent.[2]) Quod quidem quonam modo fecerint, utrum laceraverint homines an aliter necaverint, quod intellegere non iam nobis licet non est cur magnopere doleamus, pro certo statuisse cum satis sit Sirenes cum sanguine animas appetisse. Quantopere vero singula in antiquissimis Graecorum fabulis pervagata fuerint vel ex eo elucescit quod ab Homero, quia notissima erant, plane neglecta sunt.

Sed ne dementi ratione hoc animas arripiendi studium Sirenibus attribuisse videar aliis tantummodo fabularum

---

1) cf. schol. Q. Odyss. M, 42, 43: Eustath. p. 1707, 50; Tzetzes, schol. Lyc. 721. Quos nostra aetate secutus est Nitzschius, l. l. III, p. 370.

2) A. Maury permultis abhinc annis illam Sirenum provinciam fuisse magis mente praesagivit quam demonstravit cum diceret (Rev. arch. IV, p. 744): „Mais ces accords enchanteurs quelles faisaient entendre étaient souvent un moyen dont elles se servaient pour faire tomber entre leurs griffes ceux qui se laissaient séduire, afin de les livrer ensuite à Hadès . . tel est le motif qui à fait donner aux Sirènes le caractère qu'on leur voit dans l'Odyssée“.

monstris collatis, unum proferam testem quo nostra sententia egregie fulcitur. Plutarchus Conviv. Quaest. IX, 14, 6 Ammonium, qui Platonem defendere studet quod concentus siderum suos volventium orbes octo Sirenum cantu, non Musarum effecisset, dicentem inducit haec: *Αἵ γε μὲν δὴ Ὁμήρου Σειρῆνες οὐ κατὰ λόγον ἡμᾶς τῷ μύθῳ φοβοῦσιν, ἀλλὰ κἀκεῖνος ὀρθῶς ᾐνίττετο τὴν τῆς μουσικῆς αὐτῶν δύναμιν οὐκ ἀπάνθρωπον οὐδ' ὀλέθριον οὖσαν, ἀλλὰ ταῖς ἐντεῦθεν ἀπιούσαις ἐκεῖ ψυχαῖς, ὡς ἔοικε, καὶ πλανωμέναις μετὰ τὴν τελευτὴν ἔρωτα πρὸς τὰ οὐράνια καὶ θεῖα, λήθην δὲ τῶν θνητῶν ἐμποιοῦσαν κατέχειν καὶ κατᾴδειν θελγομένας. αἱ δὲ ὑπὸ χαρᾶς ἕπονται καὶ συμπεριπολοῦσιν.*

Quid inde lucramur? Vulgari nimirum opinione sollerter explicata eisque quae defendit philosophiae praeceptis accomodata Ammonius illa fulcire studet. Philosophica vero specie deprompta dilucidis affirmatur verbis Odysseae quoque Sirenes animas cantu allexisse. Singula, quibus traditur quae quibusque de causis canerent, animas gaudio affectas sequi, alia, a philosopho addita sunt. At Plutarchus talia protulisset nisi opinione tum pervulgata omnibusque nota firmo stabilique fundamento usus? Nostro igitur iure inde efficitur colligiturque pristinam istius fabulae vim et notionem tum quoque non omnino exstinctam valuisse etsi obscuratam novaque subiecta significatione. Animae vero cum ab animis tantum alliciantur aut arripiantur Sirenes defunctorum esse manes optime e fabula ab Homero tradita intelligitur.

His de genuina et vera Sirenum Homericarum natura expositis quid de cantu illarum cogitandum sit, per se, ut ita dicam, elucet. Tantum enim abest cantus ut primariae Sirenum fabulae proprius fuerit, ut ab animis infestis crudelibusque omnino abhorrere videatur. Et tum demum cantationes Sirenibus attributae sunt, cum Graeci, multis videlicet ante Homeri aetatem annis, singulas animas ex innumerabili manium multitudine segregatas volandi seu circumvagandi facultate privassent. Cum vero ipsae homines non iam aggredi et consectari possent, auxilio quodam ad homines alliciendos uterentur oportuit, ne usitato sibi ad vivendum necessario cibo, animis scilicet sanguineque omnino carerent.

Quae cum ita sint altera exsistit quaestio cur cantu, non alia quadam re Sirenes usas esse censeamus ad nautas pelliciendos. Quod quidem facillimum explicatu videtur esse monendo quantopere ars musica inde ab antiquissimis temporibus apud Graecos floruerit, quantaeque fuerint auctoritatis poetae et canendi periti. Ab ipsis igitur poetis cantum

fabulae insertum esse facile coniceres, ut demonstrarent quid ad hominum mentes commovendas ars musica valeret. Tamen haud scio an inde primordia cantationis petenda non sint.

Crusius iure sane refutavit[1]) opiniones a Schradero de origine cantus prolatas, quorum summa haec est: Sirenes quia aves essent, voce praeditas esse, inde effici ut etiam cantus, suavis videlicet et dulcedinis pleni peritissimae habitae essent. Tamen illam explicandi rationem veri aliquam praebere mihi videri speciem non nego.

Quod ut demonstremus in religionis et mythologiae Graecorum primordia recedamus necesse est, quibus animam volucris formam sibi finxisse Graecos infra comprobabo.[2]) Cantandi autem facultas cum semper volucrum propria putaretur, fieri non potuit, quin et eis avibus, quae revera animae erant, inderetur. Quod quidem cum ex aliis locis tum ex notissimis illis Homeri verbis elucet quae legimus Od. XI, 605 *ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς* — *κλαγγῆς* verbum non nisi de avibus ab Homero usurpatum est — et ex eis Odysseae locis quibus animae *τρίζουσαι* finguntur. Tum vero haec canendi facultas a Sirenibus quoque aliena non erat, cantusque ex ipsa illarum natura derivari potuit.

Accedit autem et altera causa ad hanc comprobandam sententiam idonea. Graecis peculiarem fuisse opinionem qua animam non solum artissime cohaerere cum vento, quin etiam ventum esse opinarentur supra pluribus coarguimus. Vento autem cum omnes fere populi sibilandi et canendi quandam vim quasi natura alligatam attribuissent, quam quidem opinionem Graecis quoque probatam fuisse Roscher, vir doctissimus demonstravit[3]), etiam animis[4]) ideoque et Sirenibus eadem canendi facultas innata erat.

Suavis igitur et captiosa cantationis vis quam poetae Sirenibus attribuerunt, nec genuina nec per se cum eis coniuncta erat, sed posteriore demum aetate, cum fabula commutata et Ulixis cerroribus inserta esset, a poetis ex

---

1) Philologus L, p. 104 adn. 10.
2) cf. p. 51s.
3) Hermes der Windgott p. 50s. Nektar u. Ambrosia p. 3.
4) Omnibus animis talem cantandi copiam inditam fuisse ex Orphicorum Pythagoreorumque disciplina cognovimus, quippe qui vulgi superstitione adhibita bonorum tantum piorumque animas summum coelum obtinentes ac hymnis felicitatem extollentes induxerint (cf. Pind. fr. 32; Dieterich, Nekyia p. 37). Ex una ista sententia Sirenum caelesti siderum harmoniae a Platone praefectarum (Resp. p. 617B) vim et notionem indagari posse alio loco demonstrabo.

pristina illa canendi copia derivata est. Tum demum Sirenes suavitatis et dulcedinis illecebris ita exornatae, tanta vocum venustate instructae sunt, ut amoenitas et gratia maxime earum propriae et peculiares esse viderentur. Attamen caveamus ne cantum magicum ac decipientem ab ipsis poetis inventum putemus. Vulgi enim superstitione daemonibus, simulatque qualibet de causa canentes inducuntur, per se maligna nec humana cantationis vis attribuitur, qualem, ut pauca proferam exempla, Circae, qualem Empusae a Philostrato (Vit. Apollon. IV, 25) commemoratae fuisse accepimus. Quae quidem pluribus hic expedire nostrum non est. Quare obiter tantum commemoro Homero imprimis auctore quem quantum valuerit ad certas fabularum formas constituendas et servandas inter omnes constat, postea Sirenes non solum artis musicae peritissimas cantatrices, immo patronas eius, ut ita dicam, habitas esse, genuina et prisca natura magis magisque obscurata, quin omnino neglecta. Inde cum Apolline ipso artissime connectebantur musicae nempe artis, cui ille praeerat, imagines. Musarum denique familiae Sirenes insertas esse, quin in certamen cum istis descendisse si fusius exponerem, notissima recoquerem, praesertim cum alio loco singula qua aetate et a quibus poetis excogitata excultaque sint uberius pluribusque sim disceptaturus.

Sed haec quidem de cantu Sirenum, agedum cetera quoque perspiciendo quae Homerus, quae posteri de eis tradiderunt, quonam modo cum pristina ista Sirenum vi et natura, animarum scilicet, coniungi aut ex ista derivari possint perquiramus.

Ac primum quidem videamus quid de diversis quas tractavimus, daemonum infestorum familiis iudicandum esse videatur.

Ea quam saepius monuimus de animis opinio, qua omnes pari alias arripiendi cupiditate inflammatae sunt, neque oriri neque valere potuit nisi istis temporibus quibus defunctorum manes non communi omnium mortuorum imperio teneri, sed singulos in suis ipsorum inesse sepulcris, suo arbitrio inde egrediendi et circumvagandi facultate praeditos esse hominibus persuasum erat. Posteriore autem aetate cum contraria omnibus probata sententia constaret manes mente et vita carentes umbras esse, omnique hominum commercio, omni et nocendi et iuvandi facultate privatas, tantum afuit, ut istarum crudelium animarum memoria etsi comminuta, funditus ex homiuum mentibus exstingueretur et evelleretur, ut daemonum quorundam illud, quo olim omnes

functi erant interficiendi munus, proprium et peculiare haberetur. Altera quoque exstitit causa qua manium provincia commutaretur. Communi enim omnium animarum domicilio cum princeps praefectus esset, non iam sibi ipsi daemones animas auferre, sed regis tantum defunctorum imperio oboedientes eos, quibus moriendum erat homines aggressi ad inferos deferre videbantur. Tum autem magna sententiarum dissensio orta est. Aliis enim locis alia servata erant pristinae religionis „rudimenta", aliis alia imprimis animarum propria habita, alia hic alia illic pluribus illustrata erant et excogitata. Nam cum hic hominum tantum de improviso mortuorum animae ab infausto quodam daemone raptae esse[1]) vulgo putarentur, aut eorum, qui in pugna interfecti erant, aut eorum qui alios necaverant, aliae Graeciae gentes omnium quicunque aetate aut morbo confecti diem supremum obiissent animas a daemonibus susceptas et leniter, matris quasi amore et diligentia[2]) adhibita ad inferos delatas esse pro certo habuerunt. Nec deerant fabulae, quibus homines quosdam eximio deorum amore dignatos vivos corporibusque praeditos rebus humanis et terris exemptos et in coelestia loca translatos esse traderetur, daemonibus nempe quibusdam auctoribus. Variis his auferendi modis vulgi et poetarum superstitione statutis per se fere efficeretur necesse erat, ut istis daemonibus qui, cum diversis fungi viderentur officiis, ipsi inter se diversi esse putarentur, communi omnium origine neglecta, varia aut pro regionibus et gentibus nomina inderentur aut ea, quibus facultates quae omnibus olim communes fuerant, singulis attribuerentur. Quam ut testimoniis fulciamus sententiam non est cur longe abeamus, cum primo ipso aspectu praesto sint complura a variis Graecorum fabulis petita. Quis est enim quin sciat quam saepe vetustum alicuius dei cognomen progredientibus temporibus disiunctum ipsumque novi numinis auctoritate praeditum sit? Eodem igitur modo factum est ut e cognominibus, istis daemonibus, quos aut *Ἅρπυιας* vocarunt, aut *Ἐριννύας*, aut *Κῆρας* aut *Σειρῆνας*, in variis Graeciae regionibus inditis, separata

1) Picturam conferas vascularem Musei Berolinensis (n. 2157), qua avem gorgonis facie praeditam utraque manu iuvenem arripientem conspicis. (Jahrb. d. Inst. I, p. 211, Roscheri Lex. Myth. I, 1847.)

2) Exempli gratia Harpyias quas dicunt commemoro, quibus monumentum illud sepulcrale Xanthi repertum exornatum est, figlinam imagunculam Musei Berolinensis (n. 8299, Coll. Gréau 1891, n. 240.) figuramque alabastri Naukrati effossi, quod nunc in Museo Britannico conservatur. (Catal. sculpt. I, n. 116).

et varia fierent daemonum genera. Tum quidem fieri non potuit quin ingens olim manium infestarum multitudo comminuta pro regionum temporumque diversitate in certum redigeretur daemonum numerum. Quare etsi tres plerumque inveniuntur Furiae, tres Sirenes, tres Tritopatores, quicunque sunt id genus alii, mirandum non est, cum aliis temporibus aliis locis alius daemonum eiusdem familiae numerus commemoretur. Simodo recte haec constituimus, prorsus a vero aberraverunt ei viri docti, qui Sirenum numerum duplicatione aut multiplicatione ortum esse contenderunt e physica quadam seu ethica ratione, quam solam remanere Graeci noluissent.[1])

Numero vero et communi familiae nomine constitutis singulis quoque Furiis Harpyiis Sirenibus singula nomina indita sunt. Quid porro? Homines postremo, ut ita dicam, facti cum heroum fabulis artissime connexae sunt; et ut quaeque quibus inserti erant fabula clarissima et notissima erat, ita celeberrima daemonum quoque illa exstitit forma et fabula. Inde factum est ut Sirenum praeclarissimis Graecorum carminibus inditarum ea tantum forma excoleretur quae, etsi falso, istius fabulae summa videretur esse. Singula quoque nomina eadem lege electa sunt Parentes denique cum fingerentur fabulae plurimis probatae accomodati fieri non potuit quin posterioribus temporibus, quibus Sirenes artis musicae peritissimae essent, Musarum dicerentur filiae, quippe quae canere eas docuissent, aliis temporibus, quibus infesti haberentur daemones, quin Phorcys, omnium monstrorum pater, Sirenes quoque genuisse videretur, aliis, pristinae memoribus naturae et domicilii, quin Terrae filiae ducerentur. Tantum autem abest ut in eo offendamur quod hae eisdem interdum aetatibus probatae sunt sententiae, ut caveamus ne eam, cuius ne vestigia quidem in Homeri carminibus inveniri videantur, postea demum ortam esse arbitremur. Certum denique daemonibus domicilium et sedem tribuere cum poetis et vulgi fabulis peculiare esset, aut nova quibus habitarent, domicilia cogitatione inventa sunt, aut in eis quae veterum fabulis tradita erant cur habitarent summa saepe cum sagacitate poetae explanare studuerunt.[2])

Operae fortasse pretium est paucis hic de Sirenum sedibus inquirere. Omnium animarum domicilium quoniam aut

---

1) Hanc sententiam protulit Klausen: Abent. d. Odyss. p. 49.
2) Hesiodus primus de Sirenum sede plura videtur quaesiisse, cf. frgm. 88: *νῆσον ἐς Ἀνθεμόεσσαν, ἵνα σφίσι δῶκε Κρονίων.*

sepulcrum est aut commune manium regnum, verisimillimum sane est Sirenes quoque apud inferos versatas esse. Accedit quod et Furias et Harpyias et *Κῆρας* in Orco habitasse veteres tradiderunt.[1]) Dixerit fortasse quispiam: Quid? Homerus nonne dilucidis verbis insulam Sirenum descripsit? Sane quidem, sed cum iam persaepe cognoverimus non primariam istius fabulae formam ab Homero memoriae traditam esse, haec quoque an genuina non fuerit sedes nostro sane iure dubitamus. Et diligentius veterum testimonia perscrutantibus nobis pristini quoque Sirenum domicilii, Orci nempe, vestigia occurrunt. Pauca hic afferre liceat. Euripidis recordare verba[2]), quibus Helenam lugentem et Sirenes maeroris adiutrices expetentem inducit: Quae cum Proserpinam ut Sirenes ex Orco dimittat imploret, nonne in Orco habitasse Sirenes necesse est? Summi porro momenti Platonis[3]) locus est, quo ne Sirenes quidem ex Orco reverti velle tradidit Plutonis scilicet verbis sapientiae plenis captas. Philosophica interpretatione remota sequitur Sirenes non solum apud inferos esse, quin etiam inde reverti posse, nempe ut homines secum arripiant. Ficta talia et a Platone inventa non sunt, immo vulgi superstitione egregie utitur divus philosophus ad emendandas opiniones vulgares, in quibus veri quandam inesse speciem demonstrare studet. Sed de his alio loco plura et uberiora. At Homerus? Nonne in Odyssea quoque in Orci vestibulo Sirenes habitant?[4]) Ulixis demum erroribus cum fabula inserta esset, in insula in Oceano sita collocandae erant, quam nec pristinam esse sedem neque eam quae ullius fuerit momenti ad Sirenum naturam significandam vix dici opus est. Quare cum nullis vinculis per se Sirenes cum mari connexae sint valde erravit Plewius[5]) cum pronunciaret intelligi posse, quamquam non demonstrari aquam aut mare primas partes in Sirenum fabula egisse, erraverunt ei quoque viri docti, qui Sirenum fabulam a nautis excogitatam esse putarunt.[6]) Itaque ansas ad propriam Sirenum notionem et

---

1) Testimonia a Crusio collata sunt; v. Roscheri Lex. Myth. s. v. *Κῆρες*.
2) Helena, v. 168s.
3) Cratyl. p. 403D.
4) cf. H. D. Müller: Ares p. 111.
5) Jahrb. f. Philol. 1869, p, 171.
6) e. g. Welcker: Griech. Götterl. III, p. 164. Lewy: Die semit. Fremdwörter im Griechischen p. 205 = Jahrb. f. Philol. 1892, p. 187. „Deas maris“ Sirenes appellarunt Preller-Robert: Griech. Myth⁴. I, 614; Rapp: Roscheri Lex. Myth. I, 1730 s. v. Graiai, alii.

vim investigandam ab insula aut mari repeti posse meo sane iure nego.

Cum autem omnes sane consentiant viri docti nullos daemones in Orco habitasse nisi manes defunctorum, inde quoque haud parvum argumentum colligitur, quo Sirenum naturam recte explicasse videamur.

Sed his de proprio Sirenum domicilio enucleatis Orco relicto ad reliquas fabulas, quae de eis traditae sunt, pertractandas revertamur.

Ne in familia nominibus domicilio quidem expeditis vulgus et poetae acquieverunt. Nam quoniam Sirenes heroum fabulis innexae erant, eisdem legibus paruerunt quibus heroes: et cum hi non sempiterna vita fruerentur, illas quoque et Harpyias et alios eiusdem generis daemones diem supremum obire fas erat. Inde fabula orta est qua Sirenes, se ab Ulixe deceptas esse indignatae mortem sibi intulisse traduntur[1]), propria nimirum animarum natura, quae revera mori posse non videntur parum respecta.

---

1) Etsi alio loco plura de Sirenum morte disceptaturus quaestionem instituam quaenam ratio inter hanc fabulam et inter sacra et templum Neapoli Sirenibus consecrata intercedat, tamen hic quoque summam disputationis paucis attingere magis quam perlustrare mihi liceat. Fabulae quae est de morte Sirenum Lycophronem primum nobis exsistere auctorem inter omnes constat. Quamquam autem iam dudum viri docti illam revera iam antea vulgatam fuisse e pictura vasis cuiusdam rubris figuris exornati collegerunt, quod, ineunte saeculo quinto confectum, nunc in Museo Britannico conservatur (Mon dell' inst. I. 8; Baumeister: Denkm. fg. 1700 etc.), tamen eos fugit in testa quadem Naucrati effossa, in qua navis remigibus instructa et in extrema sinistra parte alae fragmentum adspiciuntur, non volantem depictam fuisse Sirenem, qualem Walter in Catalogo Musei Britannici (B. 103[19]) descripsit, sed se praecipitantem. Inversa enim ala restitui non potest nisi Sirene se in mare immittente delineata. Cum autem illud vas, ut alio loco demonstrabo non Naucrati, sed in urbe quadam Asiae Minoris ab Ionibus habitata, anno fere 630. a. Chr. n. depictum sit, pro certo sane statuendum est fabulam, qua mors voluntaria Sirenum memoriae traditur, saeculo VII. Graecis Ioniae quandam regionem incolentibus haud ignotam fuisse. Tum autem illud non solum omnium monumentorum quae ad fabulas pertinent, fere antiquissimum, quin etiam id est, in quo fabula quaedam ab Homero non tradita depicta sit. Cum vero ille Sirenum fabulam Ulixis erroribus inseruerit quasi rem notissimam quam attingere, non pertractare, satis erat, non vereor, ne audacior videar cum dicam verisimillimum mihi quidem esse iam ante Homeri aetatem illam fabulae partem, qua Sirenes sibi ipsae mortem intulisse traduntur, viguisse, ab isto autem consulto neglectam esse, quia ad summam totius carminis illustrandam, Ulixis scilicet errores, nullius fere erat momenti. Quid enim Sirenes deceptae fecerint, postquam Ulixes calliditate et prudentia servatus integer profectus

Magna igitur exstitit dissensio fabularum, cum Sirenes aut dudum mortuae esse, aut in Orco vivere, aut per terram vagari dicerentur: sed caveamus ne in ea offendamus: Nam cum monstra illa, quae hominum animas inferis traderent, gravissimis suppliciis affici aequum videretur, vulgi magis quam poetarum mente et cogitatione fabulae fictae sunt, quibus ista ab heroibus superata esse cognoscimus: ab Hercule scilicet Stymphalides, quin crudelem *Κῆρα* interfectas esse in fabulis traditum est, a Boreadibus Harpyias, ab Oedipo Sphingem, quin heroem quendam poenas dedisse facinorum post mortem commissorum Pausanias prodidit (VI, 6, 7). Ex quo intelligitur ne animas quidem immortales visas esse. Num est cur hoc miremur? Fabulas memoria repetite nostris temporibus a foedissima superstitione procreatas. Quid vampyros quos dicunt? Denuo nonne interficiuntur sepulcro aperto, corpore eruto, capite abscisso, palo in cor adacto?

Omnia praeterea, quae contraria videntur esse, tibi animo perlustranti semper spectandum est nec physiologiam quam medici dicunt, nec psychologiam unquam exstitisse daemonum et infestorum manium, omnium denique rerum a superstitione creatarum. Vastus immo cuique patuit campus quo daemones suo arbitrio agitantes versantesque sibi fingere licuit; formae vero falsa cogitatione formatae semper commutari novisque officiis praefici possunt.

Restat ut pauca verba facienda esse videantur de marmoreo quodam anaglypho Alexandrinis confecto.[1])

Hominem adspicis dormientem ithyphallicum, cui varicus residere studet pulcherrima quaedam puella longis praedita alis, virginis forma induta, cruribus exceptis, quibus avium natantium pedes adfixae sunt.

Unde petendae sint ansae ad huius anaglyphi, quod primo quidem obtutu ab omni Sirenum vi et notione abhorrere videtur, significationem investigandam Crusius optime indicavit[2]) cum animum adverteret ad foedam illam superstitionem, qua virginum praematura morte defunctarum manes

---

est, ad rem nil attinet. His quae modo protulimus probatis quid de templo, sacrificiis, sepulcris Sirenibus Neapoli — Parthenope nempe urbs nunquam fuit nisi in mentibus poetarum — consecratis iudicandum esse efficiatur, pluribus disserere hic locus non est.

1) Schreiber: Die hellenist. Reliefbilder etc. tb. 61; Philologus L, ad p. 97s. Hoc anaglyphum olim amissum in museo artis monumentorum a Gréau collecto conservatum erat (Fröhner: Collection J. Gréau. Terres cuites grecques, vases peints et marbres antiques, Paris 1891 n. 1301) et nunc apud Fröhnerum exstat.

2) Philologus L, p. 97ss.

summa Veneris perfruendae cupiditate inflammati esse putantur. Quam quidem pervulgatam esse opinionem vel ex eo elucescit, quod omnium fere fabularum quae de vampyris quos dicimus sunt, proprium est, ut incubones, cum virorum tum virginum animae libidinosae, non solum sanguinis, sed etiam Veneris appetentes dormientes invadant, cuius scilicet Veneris viventes impertes fuerant.

Testimoniis a Crusio collatis haec addere mihi liceat.

Ac primum quidem Astrabacus heros cum Aristonis muliere concubuisse et puerum genuisse ab Herodoto l. VII, 69 traditum est; deinde Herculis phasma Theagenis matrem compressisse Pausanias testatur l. VI, 11, 2; fabulam porro proponite vobis ab eodem auctore allatam de infesto illo heroe, cui Temessii virginem quotannis tradere Apolline suadente consueverant. Tum Helenam defunctam somniantis Achillis concubitus petisse scholiasta ad Euripid. Andromach. v. 229. tradidit.[1]) Romanorum denique foedam hanc viguisse superstitionem Augustinus testis est cum dicat (De Civit. Dei I, 15, 23): „Multique se expertos vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Silvanos et Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos saepe exstitisse mulieribus et earum appetisse et peregisse concubitum.“ Optime autem anaglyphum illud quo Siren *ὀνειρώσσοντι* coiens depicta est, illustratur eis quae de Strigibus, Sirenum consanguineis legimus apud Petronium § 134: „Quae Striges comederunt nervos tuos?“ Fabula de qua agitur nota est.

Sed relinquamus foedam illam et obscoenam superstitionem[2]), satisque sit statuisse anaglyphi illius Sirenem, quae quidem physica aut ethica interpretandi ratione adhibita omnino explicari nequit, optime intelligi, si defunctae animam eam esse et crudelitatem et libidinem explendi cupiditate inflammatam nobis persuaserimus. Quantum haec de animis superstitio valuerit ad eam opinionem constituendam qua Sirenes artissime cohaerere cum Venere, quin ipsas meretrices fuisse veteres putarunt, nondum dilucide diiudicari posse videtur. Quare ne in dumeta correpamus, in his quae perscrutati sumus, acquiescere satis habeamus.

---

1) *ἔσχε δὲ (Ἑλένη) μετὰ θάνατον ἢ ἐν ὀνείρῳ Ἀχιλλέα.*

2) Exempla e nostrorum temporum fabulis hausta cumulata sunt in libris quos conscripserunt Laistner: Das Rätsel der Sphinx, Pabst: Über Gespenster in Sage und Dichtung, B. Schmidt: Das Volksleben der Neugriechen, passim.

Verum haec quidem de recentioribus Sirenum fabulis. Ut ad illud unde digressa est quaestio carmen revertamur, paucis nunc si placet perquiramus, quonam pacto reliqua de Sirenibus a divo poeta narrata pristinae naturae memoriam prodere videantur.

Legimus Od. XII. v. 184 s. haec:

δεῦρ' ἄγ' ἰών, πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
v. 189 s. *ἴδμεν γάρ τοι πάνθ', ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ*
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν·
ἴδμεν δ', ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Hanc nominis notitiam omniumque rerum scientiam qua praeditae esse Sirenes gloriantur, ut explicarent veterum et nostrorum temporum viri docti[1]) summa persaepe opera navata diversissimas proposuerunt sententias, tamen rem omnes minime expeditam reliquerunt. At nostra Sirenum interpretatione probata nonne facillimum explicatu est, considerantibus nempe nobis omnium manium propriam esse et rerum praeteritarum et futurarum notitiam? Nec ab Homeri carminibus ea abhorret. Hercules enim non solum Ulixem, quem vivus nunquam viderat, apud inferos agnoscit (Od. XI. 615), sed etiam Patrocli manes Achilli fatum vaticinantur (Il. XXIII. 80), morientesque futura e divinatione praedicunt Patroclus (Il. XVI. 851) et Hector (Il. XXII. 359).

Accedit quod peculiare et proprium fabularum est quae de infestis mortuorum animis vulgantur, ut manes eos quos auferre student, nomine appellent; moriendum autem eis est qui responsa reddiderunt, quia ultro se manium turbae addixerunt.[2])

Altera exstitit quaestio a viris doctis persaepe tractata, quonam modo explicandi sint v. 168 s.:

Αὐτίκ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο ἠδὲ γαλήνη
ἔπλετο νηνεμίη, κοίμησε δὲ κύματα δαίμων.

Missas faciamus eorum sententias qui aut Circen[3]) aut

---

1) Eustath. p. 1710, 50—60: Porphyr.: Quaest. Hom. ad Od. XII. 184; Cerquand: Rev. Arch. 1864, p. 292; Nägelsbach: Hom. Theol. p. 23, adn. Nitzsch: Anm. zur Odyssee III, p. 394. Preller-Robert: Griech. Myth. I, p. 614. Stephani: C. R. 1866, p. 18, alii.

2) Laistner: l. l. I, p. 38 s. 51. Mogk: Germ. Myth. p. 1004. B. Schmidt: l. l. p. 165 s., p. 123. Wachsmuth: Das alte Griechenland im neuen. p. 53.

3) cf. Porphyr. Quaest. Hom. ad Od. XII 149. Schol. V. Odyss. XII. 169. Nitzsch: l. l. III, p. 390 s.

Neptunum[1]) auctores malaciae fuisse putarunt, cum falsa eos excogitasse appareat. Interpretationem autem a Crusio prolatam[2]) qua optime hanc Sirenum fabulae partem cum daemonibus meridianis contulit, qui homines meridiano tempore somno gravatos lacerare aut angere solent[3]), haud scio an melius fulciam eis fabulis allatis, quibus animis seu daemonibus tempestatis regendae aut commutandae vis et facultas attribuuntur. Quorum magorum in numero cum Telchines et Κῆρες fuisse dicantur qui ventis excitatis segetes et herbas diris venenis pessumdarent[4]), utrique nempe defunctorum manes, Sirenes quoque quin tempestatum imperio praeditae fuerint dubitemus?

Quibus expositis nihil intactum reliquisse mihi videor, etiamsi singula nonnumquam magis attigi quam accuratius amplexus sum, quod ad Sirenum quales in Odyssea describuntur, enucleandam naturam spectat. Satis idoneis me comprobasse puto argumentis et eam fabulam et vulgi superstitiones, quatenus ad Sirenes spectant, intellegi non posse nisi, omnibus aut physice aut ethice aut allegorice ut ita dicam, interpretandi rationibus longe remotis et refutatis animas defunctorum Sirenes fuisse persuasum habeamus.

Quam ob causam Graeci Sirenum simulacra in sepulcris collocaverint.

Omnes interpretationes adhuc a viris doctis de Sirenum figuris, quibus Graeci monumenta sepulcralia exornarunt prolatas claudicare, quin omnino corruere supra intelleximus.

Quare denuo de eis exoriatur quaestio! Dixerit fortasse quispiam: Quid? pluribusne hac de re disserere opus est? Nam si recte Sirenes defunctorum manes esse demonstrasti, nonne Sirenis, h. e. animae effigies optimum maximeque idoneum sepulcri ornamentum est? Non inepta sane protulisti neque equidem is sum, qui Sirenem sepulcro impositam animae effigiem esse negem, defuncti videlicet in isto sepulcro conditi, tamen vereor ne altera hac re probata nobis oriatur quaestio pertractanda: Quanam nempe causa Graeci adducti sint ut

1) Schol. B. Q. Odyss. XII. 169.
2) Philologus L, p. 105.
3) B. Schmidt l. l. p. 94.
4) Crusius: Lex. Myth. II, p. 1145, 1165.

animae defuncti figuram in monumento exstruerent. Quem ut expediret nodum deterrendi vim quam maximam illis fuisse Crusius arbitratus est[1]), qua efficeretur ut unius animae simulacro ceterarum circum sepulcra vagantium turba[2]) absterreretur quominus sepulcra violata inirent, obtinerent, inverterent. Quod quantum valuerit in Graecorum superstitione mala deterrendi studium quotque et qualia excogitaverint φυλακτήρια seu ἀποτρόπαια quae dicuntur, quibus ipsos et defunctos ab infestorum daemonum malignitate defenderent inter omnes constat, semperque viguit opinio similia similibus optime defendi posse et sanari. Ad animas igitur deterrendas aptissimae fuerunt animarum imagines. Attamen haud scio an omnes ista interpretatione accepta sublatae non sint difficultates, immo remanent quaedam atque eae graviores. Cum quibusdam enim monumentis sepulcralibus congruit haec sententia, ad omnia autem accomodari non potest. En sunt quae monenda mihi videntur esse.

Omnia fere simulacra sepulcralia aut lugentes exhibent Sirenes aut cithara tibiisque canentes. Quantam vero fuisse putas mala defendendi daemonesque deterrendi vim in phylacterio lugente aut nervis canente? Minimam sane. Itaque lugentes istas canentesque Sirenes initio ἀποτρόπαια ficta esse verisimile mihi quidem non videtur. Sed daemonum naturae peritiores hanc componant litem, neque alium daemonem alio deterritum fuisse phylacterio repugno.

Altera quoque accedit causa cur in disceptationem vocari posse ista videatur humanissimi viri sententia. Non solum statuas Sirenum aut anaglypha sepulcralia Sirenum figuris exornata bona nobis reddidit fortuna, sed etiam in ipsis sepulcris haud pauca figlina sigilla Sirenum forma effictа reperta sunt. Quid? Quonam modo haec explicemus? Num haec quoque apotropaia sunt? At alias animas deterrendi vim et notionem his figlinis sigillis attributam non esse et isti consentiant necesse est, quibus illa Sirenum in monumentis sepulcralibus collocatarum placuit notio. Una autem atque eadem via et ratione adhibita et Sirenum simulacra in monumentis sepulcralibus collocata et figlina sigilla in ipsis sepulcris deposita explicanda sunt. Verisimillimum vero cum videatur esse eandem necessitudinem intercedere inter Sirenum sigilla et inter mortuum, qualem inter istum et inter cetera figlina si-

1) Philologus L, p. 101.
2) cf. Plat. Phaedo. 81 CD, Rohde, Psyche p. 228. Vasa quoque conferenda sunt albo colore sublita, quibus Κῆρες circum sepulcra volitantes depictae sunt.

gilla, Sirenes autem quid attinerent ad defunctum nondum satis indagatum esse et illustratum clarissimorum virorum comprobatum sit testimonio[1]), integra denuo nobis exsistit quaestio totiens pertractata, quam ob causam Graeci in sepulcris figlina sigilla deposuerint.[2])

Lugentium Sirenum sigilla Myrinae imprimis reperta ipsa forma et specie ad res funebres proprie pertinere omnes adhuc viri docti pro certo affirmarunt. Itaque omnes fere ad unum viro doctissimo Pottier adstipulati sunt, qui non dubium esse dixit quin Sirenes habitu et gestu dolorem et sollicitudinem cognatorum pro defuncto lugentium significarent.[3]) Quinam autem fieri posset, ut talis vis et significatio Sirenibus inderetur adumbrare non studuerunt.

Quare illa sententia nobis paene negligenda est, praesertim cum non omnium Sirenum sigillorum, sed recentiorum tantum ratione habita rem ipsam non tangat. Antiquissima enim Sirenum sigilla e sepulcris effossa non lugent.[4]) Quid nunc? Aliam in antiquissimis illis fuisse arbitraris vim et notionem, aliam in recentioribus lugentibus? Talis vero explicandi ratio, quae dividendo difficultates tollere studet longe reicienda est. Agedum, aliam exquiramus interpretationem! Originem consuetudinis figlinas deponendi imagunculas in eo positam fuisse Pottierus demonstrare studet, quod Graeci eis quasi donis manibus oblatis non modo defunctos ad inferos proficiscentes defendi et protegi, sed etiam propitios viventibus reddi et placari putaverint. At quonam modo censes Sirenum simulacris defunctorum animas placatas delectatas-

1) Furtwängler: Samml. Sabouroff II. praef. p. 13.

2) E. Pottier, libello: „Quam ob causam Graeci figlina sigilla in sepulcris deposuerint“ omnes sententias adhuc hac de re prolatas magna cum sagacitate refutavit. Cum vero non omnes sustulerit difficultates magnopere doleo mihi non licuisse libello uti nuperrime ab eo edito „Les statuettes de terrecuite dans l'antiquité. 1890“. Denuo de figlinis sigillis in sepulcris depositis optime disseruit Furtwängler. l. l. Neque vero omnibus quae protulit assentior.

3) Pottier, l. l. p. 17, 81. Pottier-Reinach: La nécropole de Myrina p. 149s. Paris: Elatée (Biblioth. des écoles franç. d'Athènes et de Rome, fasc. 60) p. 162. Accedit quod omnia Sirenum sigilla in sepulcris reperta sunt, non prope templa, ubi alia figlina sigilla ex voto dedita saepissime effodiuntur. cf. Paris, l. l. p. 141ss.

4) E. g.: Siren e sepulcro Boeotico effossa, quae nunc in museo universitatis litterarum Bonnensis conservatur, adhuc inedita. Siren Megarae reperta Syracusis conservata (Kekulé: Die Terrakotten von Sizilien p. 8f. 2d; Siren Musei Berolinensis n. 6304 Tanagrae reperta, inedita. Complures Sirenes quinto saeculo effictae in Museo Berolinensi exstant. (Cf. Arch. Anz. 1895, p. 28, n. 29.)

que esse? Quare ne hac quidem quidnam lucramur sententia accepta; quae res Graecis placuerit videmus, nondum intelleximus quam ob causam placuerit.

Mea quidem opinione tota quaestio ex eo persolvenda est, quod Graecorum mores ac ritus sepulcrales ex eodem sententiarum connexu orti sunt e quo pares apud alias gentes usitati.

Quae quidem sententiae haec fere sunt. Anima, quae post mortem non apud inferos, sed in ipso sepulcro versatur[1]), ex quo suo arbitrio evolare potest, viventibus damnum inferre, animas arripere, quae sunt id genus alia, semper naturali quadam magicaque vi in sepulcrum redire cogitur; nam sepulcrum animae domus est[2]), in qua sacrificiis donisque fruitur a cognatis oblatis. Praeter domum autem anima certam sedem in qua insit habeat necesse est, pristinum scilicet hominis corpus. Quantopere in Graecorum mentibus inveteraverit haec opinio ex qua artissime anima coniuncta est cum corpore eiusque reliquiis e multis cognoscitur fabulis de heroibus traditis, quorum ossa et cadavera Graeci alium in locum transportarunt[3]), nempe ut heroem ipsum deum et fautorem sibi procurarent. Nam eodem loco quo corporis reliquias etiam animam esse et retineri constabat.

Sequitur ut corpore putrefacto et dilapso anima quoque, sede omnino carens, pereat et dilabatur, nec, denuo ut ita dicam mortua, unquam reviviscere possit. Quae cum ita sint cognatorum est tristissimam hanc animae sortem avertere perpetuamque ei praestare vitam sempiternis sede et domicilio paratis.[4]) Constat inter omnes Aegyptios hisce commotos causis mortuorum corpora arte medicasse medicamentisque

1) cf. p. 23.

2) Inde consuetudo orta est a plerisque populis usurpata, ut sepulcra in similitudinem domorum exstruerent. Aegyptiis praetermissis Etruscos commemoro, qui non solum defunctis cubicula et domos aedificarunt, sed etiam pristinis temporibus cinerem in urnis in fornam casarum redactis, quas „urne capanne“ dicimus, condiderunt. Sed quid Etruscos? Graeci nonne cenotaphia exstruxerunt eis, quorum corpora sepelire non potuerunt, nempe ut anima defuncti circumerrans haberet ubi habitaret?

3) Lobeck: Aglaophon p. 281, Rohde: Psyche p. 150s.

4) Alia condendi ratio tum viguit, cum Graeci animas non in ipsis sepulcris, sed in communi omnium manium domicilio versari rati, corporibus rogi flammis consumptis omnem eis facultatem in lucem redeundi et in terra circumvagandi demere studuerunt. Nata autem est haec consuetudo ex illa sententia, qua animam magica quadam vi cum corporis reliquiis cohaerere opinabantur. Fluxisse tamen opiniones nec defuisse qui etiam corporibus combustis animam

quibuslibet conservasse. Sed cum ne haec quidem cura pio satis magna visa esset animo - corpus enim non solum in dies temporum malignitate magis magisque commutatum pristino tam dissimile homini fieri, ut anima sedem non iam agnoscens periret, quin etiam infausta quadam fortuna omnino deleri potuit — pietas animae sedem corpore ipso perenniorem parari iussit, quam eo libentius ab anima obtentum iri sane consentaneum erat, quo similior pristino corpori esset. Haec deliberantes Aegyptii non solum unam defuncti statuam e lapide exsculptam in sepulcro deposuerunt, sed magnam signorum multitudinem, nempe non ut omnibus eodem tempore defuncti manes sedibus uterentur, sed in maiorem immortalitatis fidem.[1]) Magno porro gaudio cum animam affici constaret, si non solum in simulacro habitare posset pristini corporis simili, quin figura sede uti suae ipsius qua post mortem praedita erat formae adaptata, Aegyptiis orta est consuetudo, ut in sepulcris simulacra volucrum humano capite praeditarum deponerent, quam animae propriam esse formam sibi persuaserant.

Sed quid Aegyptios? Graecos quoque eisdem quas modo exposuimus causis pristinis temporibus commotos fuisse dico, ut figlina sigilla in sepulcris deponerent. Nec delectare studuerunt manes nec propitios sibi reddere, sed sedem eis praebere immortalem, in qua habitantes sempiterna vita fruerentur.

Tantum autem cum abesset ut una omnibus Graeciae gentibus de animarum forma probaretur sententia, ut contra diversissimae eisdem aetatibus eisdemque interdum vigerent locis, quarum alteram avis humanum caput gerentis, alteram homunculi ut ita dicam, quod εἴδωλον Graeci vocarunt, formam fuisse mox demonstrabo, per se fere factum est, ut pro ea, quae quaque aetate praecipue valeret de animae forma opinione, figlina sigilla seu hominum[2]) seu Sirenum figura mortuis domicilia traderentur.

---

in ipso sepulcro habitare arbitrarentur mirum non est, nam res funebres nunquam in arctissimam legem contractae nec certis finibus terminatae sunt.

1) Egregie hac de re ut de omnibus rebus, quae ad mores et superstitiones Aegyptiorum pertinent, Maspéro disseruit in commentationibus „Etudes de mythologie et d'archéologie égyptiennes“ inscriptis.

2) Quae cum ita sint Furtwängler haud recta statuisse mihi videtur cum diceret (Samml. Sabouroff II, praef. p. 16s.): „Der Verstorbene wird nicht selbst als Seliger gebildet; denn des Toten eigenes Bild konnte ihm kaum nützen; dessen Platz ist nicht im Grabe, sondern darüber, drinnen sind nur Dinge, welche die Seele braucht.“ De mortuorum figuris supra terram positis infra (p. 46s.) pauca disseremus.

Coniecturae vero nostrae antiquissimis et hominum et Sirenum figlinis imagunculis in sepulcris depositis eandem fuisse vim et notionem, argumentum haud parvum cum multis aliis rebus, de quibus infra plura, tum ea re praebetur, quod figlina quaedam avis humano capite praedita, in Boeotia olim confecta ibique reperta[1]) eodem miro neque adhuc satis explanato[2]) capitis ornamento exornata est, quo antiquissima illa sigilla Boeotica, tabulae magis formam quam hominis imitantia, quae Παππάδας dicimus. Utrique nempe simulacrorum generi eodem capitis ornamento, quod ad res infernas spectare maniumque signum mihi videtur esse, addito eandem notionem tributam esse cum eluceat, efficitur ut non solum Παππάδες, quin etiam Sirenes figlinae animarum imagines et ἕδη sint.

Sed ad rem revertamur. Ex his quae fusius disseruimus satis dilucide apparuit quam ob causam Graeci antiquissima figlina sigilla in sepulcris deposuerint. Progredientibus vero aetatibus moribusque mutatis cum consuetudo tantum permansisset figlina addendi sigilla aliae istius accesserunt causae. Quas quidem similes fuisse earum quas Pottier primas putaverat verisimile est, sed caveamus, ne rudi istas attribuamus antiquitati. Saltatricum scilicet et tibicinarum imagunculae defuncto aggregatae sunt, ut illi citharam offerrent artibusque gaudio afficerent, servorum ut illum omni modo adiuvarent. Quin et istas figuras, quae abhorrere videantur a ratione quavis funebri, mulierculas dico pistrinam exercentes panemque conficientes, tonsorem capillos cuiusdam sedentis recidentem[3]) eodem modo explicandas esse puto, quo eiusdem generis figuras in Aegyptiorum sepulcris repertas. Additae enim sunt istae, ut defunctorum manibus in sepulcro habitantibus sua opera semper omnes quae ad vivendum opus sunt res prospicerent, ne illi inopia premerentur, infausta fortuna cognatis prohibitis quominus ipsi sacrificiis debitis defunctos colerent.

---

1) Huius Sirenis, quae nunc in Museo universitatis litterarum Bonnensis conservatur, imaginem luce pictam, photogramma quod vocamus, G. Loeschcke, vir humanissimus, benigne mecum communicavit.

2) Plura hac de re alio loco disseram.

3) Arch. Zeit. 1874 tb. 14. Heuzey: Les figurines ant. de terrecuite du Musée du Louvre tb. 39, 1; Martha: Catal. des terrescuites du musée de la Société Archéol. d'Athènes. n. 38—40.

Sed ut redeamus unde tota haec exorta est quaestio eadem vis, quam in antiquissimis Sirenum sigillis in sepulcris depositis fuisse cognovimus Sirenum quoque simulacrorum in monumentis sepulcralibus collocatorum pristinis temporibus fuerit necesse est.[1]) Qua interpretandi via et ratione adhibita plura quoque colliguntur de monumentorum sepulcralium notione. Quid? Videsne eodem modo et defunctorum ipsorum figuras, quin cippos et columnas sepulcris imposita optime explicari? Sedes sunt manium super terram circumvagantium. Quam quidem sententiam ne temere pronunciasse videar morem commemoro Graecis usitatissimum, quo adducti columnas sepulcrales eodem modo quo ἕδος numinis, quo rudes lapides e caelo delapsos, baetylia quae dicuntur, et ἀργοὺς λίθους, quo trabes, cetera quaelibet signa rudia et informia, in quibus deorum numen inesse opinabantur[2]), coluerunt, coronis scilicet et taeniis ornantes, unguentis oleoque sacro perungentes.[3]) Quid? Cum informia ista signa Graecis non deteriora esse viderentur quam quibus deorum numen habitaret, num defunctorum manes columnas et corporis aut animae simulacra quominus ἕδη obtinerent repudiasse putas? Testimoniis hanc fulcire et sustinere sententiam vix opus est, unum tamen afferam quo Graecorum sententia herois cuiusdam seu defuncti animam in ipsa statua habitasse optime intelligatur: Theagenis athletae Tasii statuam cum aemulus invidia inflammatus nocte verberibus flagellasset, e basi delata

1) Similis opinionis testimonium proferre liceat a maiorum nostrorum rebus gestis petitum. Paulus Diaconus Historiae Langobardorum l. V. c. 34 memoriae tradidit consuesse Langobardos in sepulcris eorum, qui mortem peregrinam obiissent, trabes columbarum imaginibus exornatas collocare, quae columbae illuc versae essent, ubi ille obiisset: scilicet ut animam circa terram vagantem patriamque appetentem suae ipsius effigie allicerent sedemque ei quam obtineret monstrarent. Haud recte igitur vir doctissimus Wackernagel nil aliud istis columbis significari opinatus est atque symbolum doloris cognatorum. (*Ἔπεα πτερόεντα* p. 12. cf. Grimm: Deutsche Mythologie[4] II. p. 950 adn.) Ad eandem superstitionem, ut haec quoque hic addam, pertinent ea, quae Homerus tradidit Od. IX, 65s.: Ulixem post pugnam commissam non prius profectum esse quam manes amicorum caesorum ter magna voce evocasset. In viam videlicet eas inducere studuit. Plura hac de re inveniuntur in scholio Od. IX, 62, 65 et apud Rohdium l. l. p. 61s.

2) Singula huius rei testimonia in medium non profero. Collecta sunt in egregio libro a viro humanissimo J. Overbeck composito quem „Griechische Kunstmythologie“ inscripsit.

3) Monumenta exstant fere innumerabilia; vasa imprimis dico albo colore sublita, quae cultum sepulcralem exhibent. cf. Furtwängler: Samml. Sabouroff I, p. 46.

illum percussit, Theagenis nempe anima verberibus excruciata, quae in statua habitaret, auctrice.[1])

Verum haec missa faciamus. Nec refutanda videatur sententia quam modo de Sirenibus sepulcralibus protulimus, propterea quod saepissime in eodem monumento et Sirenis et defuncti effigies adspiciuntur. Eadem ratione commoti Graeci has una collocarunt, qua complura figlina sigilla, et homunculorum et Sirenum forma efficta in uno sepulcro deposuerunt; accedit quod semper usitata consuetudo permanet, non nova instituta statim evanescit. Sed plura hac de re in ampliore commentatione, quam de avibus humanis capitibus praeditis editurus sum, quaeram.

Similes superstitiones secuti Tusci, quo erant rudi feroque more, parietibus[2]) et tectis[3]) sepulcrorum aut sarcophagorum clavis avium humana capita gerentium simulacra affixerunt, quibus eadem vis et notio subiecta erat atque figlinis Sirenum sigillis, quae a Graecis in sepulcris deposita aut simulacris, quae in anaglyphis sepulcralibus exsculpta erant.[4])

Redeamus autem ad Graecorum fabulas, animas, sepulcra pertractanda.

Quoniam Sirenis simulacrum ἕδος numinis — liceat mihi haec verba usurpare, etsi de defuncto loquimur, monumento sepulcrali additum erat, magna quoque ea re fiducia cognati affecti sunt defuncti numen, cum revera in sepulcro versaretur, familiaribus proximum ac benignum propitiumque fautorem precibus adesse, placatum videlicet sacrificiis, libationibus, omnibus denique quas pietas suaserant et religio rebus.

Sed satis multis verbis de primaria et principali Sirenum in sepulcris depositarum et collocatarum natura et significatione factis, duplex nobis de eis remanebit quaestio pertractanda: nostrum enim erit, ut omnes tollamus difficultates, explicare

1) Dio Chrysost. Orat. XXXI, 95s. Alias fabulas, quibus numina in simulacris fuisse iniuriasque ulta esse traduntur contulit Rohde l. l. p. 182.

2) cf. Gaz. Arch. XII, p. 267s. tb. 34.

3) In tecto sepulcri cuiusdam Clusini, cui nomen „Tomba della Scimia“ inditum est, quattuor Sirenes depictae sunt. (Monum. dell' inst. V, 14, 3).

4) Alio loco plura de his Etruscorum „Sirenibus“ disseram ac demonstrabo illos etiam figuras earum a Graecis, non, ut omnes adhuc pro certo affirmarunt viri docti, a Phoenicibus repetisse. Quare hic eas attigisse sat est ac commemorasse mihi ea quae Martha, vir humanissimus de illarum Etruscarum Sirenum significatione protulerit (Gaz. Arch. XII, p. 267s.), haud recto talo stare videri.

et cur lugentes fictae sint Sirenes sepulcrales, et cur cithara, tibiis, aliis musicae artis instrumentis canentes.

Agedum lugentium Sirenum turba in medium prodeat. Animae cum omnes sint Sirenes, lugentium Sirenum figuris nil aliud sane significari potest atque animae, quae funestam suam ipsae sortem, mortem scilicet commiserantur. Quam quidem sententiam a Graecorum opinione non abhoruisse Homerus testis est eis versibus, quibus anima viri in pugna interfecti lugens ploransque ad inferos descendens depingitur.[1]) Quid porro? *εἴδη* animarum circumerrantium cum Sirenum simulacra esse putarentur, nonne eo magis manibus ea placitura esse verisimillimum erat, quo tristissimae illius animarum sortis rationem haberent? Accedit quod mos erat usitatissimus ut defuncti figura hominis lugentis effigie in sepulcralibus monumentis depingeretur. Permulta adhuc exstant anaglypha naufragorum, qui tristissimi in puppi resident, permulta iuvenum lugentium, tristem scilicet ipsorum sortem, pilis acclinatorum, quos patres ipsi quoque mortui summa affecti sollicitudine intueantur. Statuas porro dico mulierum, „Penelopae" isti cui falso nomen inditum est in aedibus Vaticani conservatae[2]) similium, quae cubito innisae gravissimoque afflictae dolore ab artificibus confectae sunt. Nonne inter omnes constat sepulcris eas olim impositas fuisse mortuarum simulacra? Quid? quod complures quoque repertae sunt picturae vasculares cultum sepulcralem exhibentes, quibus defuncti figura summo maerori indulgentis in columnae sepulcralis gradibus sedens adspicitur?[3])

Sed quid singula commemorem? Satis multa exempla allata sunt, quibus homines ipsos suam mortem lugere comprobaretur; sequitur, ut, cum mortui Sirenum figuris ficti sint, Sirenes lugentes eadem via sint interpretandae et ratione. Figlina quoque sigilla eandem formam exhibentia idem valent.

Dixerit fortasse quispiam recte haec sibi quidem explanata videri; at persaepe compluribus idem ornatum se vidisse monumentum Sirenibus, quarum numerus, uno homine, non familia, in sepulcro condito, cur auctus sit se non intelligere. Qua quidem in re pertractanda primum negligendum non est artifices saepe forma anaglyphi adductos, symmetriam vide-

1) Il. XVI, 856; XXII, 362 *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων· πταμένη Ἄϊδόςδε βεβήκει, | ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην.*
2) Galeria delle statue n. 261.
3) Furtwängler: Samml. Sabouroff tb. XVs. Hirsch: De animarum apud Graecos imaginibus, dissert. Jen. 1889, p. 25s. Milchhöfer: Athen. Mitt. V, p. 180s.

licet quam dicunt ut respicerent, duas eodem anaglypho finxisse Sirenes, id quod fieri opus erat Sirene qualibet de causa non in fastigio collocata. Deinde sententiarum quaedam orta est commutatio progredientibus aetatibus quibus pristina lugentium Sirenum vis et notio paulatim obscurari coeptae et forma tantum a patribus tradita, non ratio indolesque formae memoriae proditae essent. Neque enim tum ipsa unius hominis in illo tumulo sepulti anima maerens depingitur, sed animarum turba inducitur istius funestam sortem[1]) lamentantium, quibus una eademque notio est atque parvulis istis figuris, quae, alis pro corporum exiguitate permagnis instructae, circa monumenta volitantes in lecythis atticis ad cultum sepulcralem pertinentibus conspiciuntur, alteram manum plerumque protendentes, alteram cubitu curvato capiti imponentes. Quas quidem figuras cum *Κῆρας* esse doctissimorum virorum opera et studio enucleatum firmissimisque argumentis confirmatum sit[2]), magnum inde sententiae a nobis de Sirenum natura prolatae auxilium exsistit. Supra enim e pari sanguinis exhauriendi siti animasque arripiendi studio et *Κῆρας* et Sirenes defunctorum esse manes cognovimus. Quoniam autem lugentes istae *Κῆρες* quales in lecythis albo sublitis colore depictae sunt, animae sunt[3]), Sirenes quoque eodem modo lugentes quin animae sint nemini sane dubitare licet nisi monumentorum testimonia consulto neglegenti. Eadem igitur ratione et *Κήρων* et Sirenum genuina significatio commutata est. Artis monumentorum peritos monere vix opus est et istas *Κῆρας* et Sirenes sepulcrales initio quidem singulas depingi, deinde complures, postremo turba, ut ita dicam aggregata.[4])

1) Exempli gratia monumentum dico Metrodoro cuidam exstructum, quod, Chio in insula repertum, nunc in Museo Berolinensi conservatur (n. 768 A). Exornatum autem est sedecim Sirenum seu lugentium seu nervis canentium figuris.
2) Benndorf: Griech. u. Sizil. Vasenbilder, ad tb. 14, 33; Crusius: Lex. Myth. II, p. 1149, 1164; Hirsch: l. l. p. 21s. O. Kern: Aus der Anomia p. 89s.
3) Sententiam olim a Pottiero de Amore quodam ad luctum pertinente prolatam (Etudes sur les lécythes blancs p. 75 s.) ab ipso nunc depositam esse puto.
4) Paucis hic mihi liceat sententiam reicere a viro doctissimo O. Kern in medium propositam. Demonstrare ille studuit in libro „Aus der Anomia, Orphischer Totenkult" qui inscribitur, p. 70ss. idola illa circum monumenta volitantia non in universum animas esse, sed malorum tantum hominum manes, qui, cum beatae et tranquillae post mortem vitae impertes circumerrare cogerentur, donec novis corporibus praediti denuo in terra vitam degere possent, invidia conflammati tristissimamque suam ipsorum sortem deplorantes boni iusti-

Posterioribus denique temporibus cum Sirenes lugentes pristina non curata significatione in sepulcris collocarentur, fiere potuit ut revera lamentationis funebris patronae fabulares inducerentur. Quae cum ita essent haud secus ac pro defuncto ipso mortem maerente servae tristem vultum gerentes in anaglyphis exsculptae sunt,[1]) Sirenes pectora pulsantes crinemque divellentes quasi praeficae fabulares magis dolorem mortui quam suae ipsarum mortis prae se ferre videbantur.

Sed satis multis de Sirenum lugentium vi et significatione disceptatis restat ut Sirenum nervis canentium simulacra sepulcralia interpretemur. Quae quidem res est facillima explicatu. Artifices enim duabus ut ita dicam generibus Sirenum, et Homericarum et sepulcralium, commixtis colligatisque eam formam, qua Sirenes cantibus suavissimis Ulixem allicientes fingere consueverant, cogitatione haud ita sagaci instituta etiam Sirenum sepulcralium simulacris adaptarunt. Quod quidem mirum non est. Homeri enim auctoritate commotos Graecos posterioribus temporibus musicae tantum artis peri-

---

que hominis funere facto advolarent. Orphicae igitur disciplinae vestigia in illis picturis vascularibus apparere. Nititur vir doctus Platonis verbis, qui (Phaedo 81, C, D) *καὶ εἰκὸς*, inquit, *οὔ τι γε τὰς τῶν ἀγαθῶν ταύτας εἶναι, ἀλλὰ τὰς τῶν φαύλων, αἳ περὶ τὰ τοιαῦτα ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι, δίκην τίνουσαι τῆς προτέρας τροφῆς κακῆς οὔσης. καὶ μέχρι γε τούτου πλανῶνται, ἕως ἂν τῇ τοῦ ξυνεπακολουθοῦντος τοῦ σωματοειδοῦς ἐπιθυμίᾳ πάλιν ἐνδεθῶσιν εἰς σῶμα.* Sed e sententiarum connexu elucet hanc interpretationem ab ipso Platone excogitatam, ne dicam effictam esse, ut vulgi opinionem, quam ipse his verbis commemoraverat: *ὥςπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη, περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα* explanaret praeceptisque philosophiae accomodaret. Itaque ut fidem augeret Orphicorum disciplinae, qua animas ab aliis ad alias formas transisse putarunt quoad purgatae et expiatae iustorum numero aggregarentur, idola expiationis desiderio commota lugere et circumerrare dixit, id quod vulgo nunquam probatum fuit. Immo nil aliud isto Platonis loco confirmatur atque tum illam superstitionem viguisse qua defunctorum animas, seu idolorum seu Sirenum formis indutas circum sepulcra volitare tristemque suam sortem, vita scilicet se privatas esse deplorare veteres existimarunt.

Neque alio modo Pindari fragmentum (132 Bergk) interpretandum est, quo legimus:

ψυχαὶ δ' ἀσεβέων ὑπουράνιοι
γαίᾳ ποτῶνται ἐν ἄλγεσι φονίοις
ὑπὸ ζεύγλαις τ' ἀφύκτοις κακῶν.

Pindarum quoque Orphicorum Pythagoreorumque disciplinae addictum fuisse constat (cf. Dieterich: Nekyia p. 109, 121s.).

1) Ex infinita copia exemplorum duas eligo statuas pulcherrimas Musei Berolinensis (n. 498—499, cf. Furtwängler: Samml. Sabouroff I, tb. XV—XVII), quibus praeclariores vix exstant.

tissimas sibi finxisse Sirenes et supra commemoravimus, et alio demonstrabimus loco artifices cum Sirenem voce canentem fingere non valuissent, citharam, tibias, cymbala eis attribuisse necessitate coactos. Inde efficitur, ut haec leviter transeam et tantummodo perstringam, recentiorem illam fabulae formam, qua Sirenes non solum voce, sed etiam nervis cecinisse traduntur, monumentis, non poetis ortam esse auctoribus.

Optime quamquam hac explicatione adhibita omnia quadrant, tamen alteram quoque excogitari posse interpretandi rationem paullo diversam silentio praeterire nolo. Defuncti anima Sirenis forma induta fortasse cithara canens efficta est, ut se delectaret, neve post mortem gaudio careret et voluptate, quibus vivus homo imprimis usus erat. Mortuarum supra laudavimus figuras dolori indulgentium, quae quasi vivae in sepulcri gradibus sedentes in picturis vascularibus reperiuntur, quarum nonnullae cithara canunt.[1]) Inde quoque Sirenum fidibus canentium simulacra in sepulcris collocata esse si quis putaret, a vero fortasse haud omnino aberraret, vultu praesertim canentium Sirenum et habitu respectis, doloris semper et maestitiae speciem prodentibus.[2]) Fluxisse autem semper cum constet sententias ad res funebres pertinentes aliamque ex alia derivatam esse, haud magnam opinioni modo prolatae, quam monuisse satis est, tribuam vim.[3])

III.

Quonam modo factum sit ut Graeci Sirenes avium humana capita gerentium figuris indutas fingerent.

Quoniam de Sirenum natura et propria vi cum in fabulis tum in monumentis sepulcralibus pauca disputavimus,

---

1) Benndorf: Griech. u. Sizil. Vasenb., tb. 34. Pottier: Etudes sur les lécythes blancs, tb. 4. Furtwängler: Samml. Sabouroff I, p. 2. ad tb. 60.

2) Exempli gratia statuam commemoro Athenis conservatam, n. 774. (Rev. Arch. 1864 tb. XII)

3) Missam facio sententiam a virgine quadam doctissima Sellers prolatam, qua figuras Sirenum nervis canentium de monumentis sepulcralibus ad ea monumenta translatas esse affirmat, quibus fabula ab Homero de Sirenibus tradita effingeretur. (Journ. of hell. stud. 1892/3, p. 4.)

tertia nobis relinquitur quaestio pertractanda, qua demonstrandum videtur esse ea, de quibus iam totiens disseruimus simulacra, avium scilicet humanis capitibus praeditarum, seu marmorea, seu figlina, seu in vasis picta, revera Sirenum esse.[1])

Quod ut perficiamus pauca nobis inquirenda sunt de figuris quas Graeci defunctorum manibus attribuerunt.

Ab Homeri carminibus proficiscendum est, quibus manes eodem habitu, eadem figura apud inferos versantes finguntur, quibus vivi praediti fuerant, mentis tamen linguaeque expertes.

Verum haec de animarum forma sententia antiquissima esse etsi videtur, tamen non est, immo contrariae, et multis ante Homeri aetatem annis pervulgatae et omnibus post illam temporibus probatae vestigia exstant, quibus Graecos animis avium quoque figuras attribuisse concludere licet. In decimo Odysseae carmine Herculis idolum depingitur arcu intenso defunctorum greges terrore afficientis. De animis ipsis legimus haec (v. 605 s.):

ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς
πάντοσ' ἀτυζομένων. . .

Qua causa Homerum commotum fuisse putas, ut defunctorum et avium voces inter se compararet, nisi quod aves et animas pares esse meminisset[2]), praesertim cum manium perturbatarum turba optime cum avium grege componeretur aquila seu accipitro perterrita? Permulti porro loci quibus anima avolasse dicitur[1]), num nullius momenti sunt ad eam quam tractamus rem designandam, cum omnium consensu constet Homerica idola alis instructa non fuisse? Tollitur sane haec dissensio nostra opinione accepta. Tolluntur et aliae. Maxime nimirum idonea ad eam qua anima ad inferos descendit describendam celeritatem avis figura celerrime avolantis est. Poetam ipsum mirari, non explicare hanc celeritatem nemo nescit.[2]) Optime sane hi loci omnes explicantur, omnes quae insunt difficultates expediuntur, simodo duas sententias diversissimas secumque pugnantes confusas esse ab Homero statuimus. Odysseae denique conferendi sunt versus XXIV, 5ss., quibus procorum interfectorum animas a Mercurio ad inferos deduci legimus:

. . ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.
ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο
τρίζουσαι ποτέονται . . .
ὡς αἱ τετριγυῖαι ἅμ' ἤϊσαν.

Primus quod sciam, Riessius[3]) verbo *τρίζειν* non notionem „exili voce clamandi“, sed „avium more fritinniendi“ subesse dixit. Recte virum doctissimum haec monuisse cum ex eo apparet, quod Il. XXIII, 101 anima *τετριγυῖα* in Orcum descendit, quo verbo Il. II, 314 avium ipsarum clangor significatur, tum ex versibus Od. XXIV, 6 s., quibus animarum clangorem eundem fuisse atque sibilum vespertilionum poeta tradidit, quas quidem revera aves esse quin illi persuasum fuerit dubitandum non est.

Homerum igitur interdum animas avium figuris finxisse, pristinae scilicet superstitionis quam, difficultatibus minime expeditis, cum usitata sibique probata nec connectere, nec comparare studet, memorem, pro certo affirmare licet.

Viguisse autem illam per totam antiquitatem paucis, si placebit, exemplis comprobemus.[4])

---

1) Etsi quod eius facere potui, omnes indices artis monumentorum quae in museis exstant, omnesque libros, quibus publici iuris facta sunt, perscrutatus sum, tamen nullum reperi vas pictum quo figurae avis humano capite praeditae nomen „*Σειρήν*“ adscriptum esset. Neque vero Longpérier, vir doctissimus praetermittendus est qui libro: Musée Napoléon III inscripto ad tb. 64. „En Grèce, inquit, l'oiseau à tête humaine se montre imberbe, et nous ne pouvons pas douter qu'il y portait le nom de Sirène dès une époque fort ancienne, puisque le nom se voit écrit près de cet oiseau peint sur une amphore de très-vieux style.“ Quae quidem amphora ubi nunc conservetur, enucleare omnino non potui. (In Museisne Parisinis, quorum indices non iam exstant?) Quare satis habeo viros doctos monuisse ut ei reperiendae operam navarent, cum ad totam de Sirenibus fabulam pertractandam summi sane momenti esset.

2) Paucis commemoro hoc loco, hymni Orphici XII. (Hercul.) vv. 14—16 collatis

ἐλθέ, μάκαρ, νοίσων θελκτήρια πάντα κομίζων,
ἐξέλασον δὲ κακὰς ἄτας κλάδον ἐν χερὶ πάλλων,
πτηνοῖς τ' ἰοβόλοις κῆρας χαλεπὰς ἀπόπεμπε

Stymphalidum naturam ac propriam vim apparere: Eas quoque animas hominibus infestas fuisse, quae sub avium forma circumvagantes pristinam illam omnium animarum figuram diutius meliusque servassent quam reliqui eiusdem generis daemones. Cui sententiae Pausaniae verbis (VIII, 22, 7) maior tribuitur fides, qui se Stymphalidum quoque statuas vidisse tradidit e virginum et volucrum corporibus compositas. Daemonibus vero eadem forma qua Sirenes praeditis eadem quoque natura fuerit necesse est. Hercules igitur eas animas infestas, quas volucres vivus persecutus est, etiam mortuus terrere non desinit, illae autem veritae ne iterum ab eo funesta sorte afficiantur, avium more crocitantes perturbantur.

1) Il. XVI, 856; XXII, 362; XXIII, 880 etc. Od. XI, 207, 222; Batrach. 207, 211. cf. Roscher: Hermes der Windgott p. 56, n. 215.

2) cf. Od. XI, 57 s. 3) Mus. Rhen. 1894, p. 189.

4) Testimonia eiusdem superstitiones aliis gentibus probatae viri docti cumularunt. cf. Grimm: Deutsche Mythologie[4] II, p. 690 s.; III. p. 246 s. Hopf: Thierorakel u. Orakelthiere p. 48, 105, 241 s. Mogk:

Striges primas affero, quas quidem et aves fuisse e veterum testimoniis[1]), et animas Sirenibus Harpyiisque simillimas ex iis, quae supra de animarum natura disputavimus, satis dilucide apparuisse persuasum habeo.[2]) Graecorum quoque in superstitione, non solum Romanorum, cuius rei plurima inveniuntur testimonia, haud parvas partes egerunt, ut ex antiquissimo quodam elucet carmine a Festo memoriae tradito.[3])

Nota deinde est fabula de Aristea Proconnesio vate vulgata, cuius animam ex ore corvi effigie evolantem visam esse Plinius testatur (Nat. hist. VII, 174), eademque fere legimus apud Herodotum IV, 15.[4]) Aristophanes quoque Av. v. 1562 animam *νυκτερίδα*, h. e. avem dicit, et ut posterioris aetatis exemplum proferam, exstat epigramma Anthol. Palat. VII, 62, quo poeta Platonis animam aquilam appellat:

Αἰετὲ, τίπτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον; ἢ τίνος, εἰπέ,
ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;
Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος ἀποπταμένης ἐς Ὄλυμπον
εἰκών· σῶμα δὲ γῆ γηγενὲς Ἀτθὶς ἔχει.

Imprimis autem adstipulamur, ut Graecis hanc opinionem usitatissimam notissimamque attribuamus eis, quae de miris illis avibus, Memnonis sepulcrum colentibus veterum memoriae tradiderunt auctores.[5]) Advolarunt scilicet quotannis innumerabilium avium turbae ad sepulcrum Memnonis, quae, in duas partes digressae magna cum vi et alacritate pugnarunt, donec altera pars victa caesaque est. Legimus de hac pugna in paraphrasi quadam Dionys. ornith. I, 6[6]) haec:

Germ. Myth. p. 1006, 1026. Laistner: Rätsel der Sphinx II, p. 257s. Lippert: Relig. d. eur. Culturv., p. 44; Schwenk: Mythol. der Slaven p. 274s Wackernagel: *Ἔπεα πτερόεντα* p. 39s. Langobardorum quoque consuetudo quam supra laudavi, ad eandem opinionem pertinet. Virgines porro cygnorum exuviis indutae, de quibus permultae fabulae maiorum nostrorum sunt, revera virginum animae sunt cygnorum formis praeditae. Corvum denique illum, qui summum Germanorum deum omnium rerum certiorem fecisse dicitur, ipsius dei animam fuisse sub corvi specie evolantem optime docuit Mogk l. l. p. 1017.

1) cf. Ovid. Fast. VI, 131s. Plin. H. N. XI, 232, Prop. III, 6, 29 etc. etc.

2) Praeclare de eis Soldan disseruit „Geschichte der Hexenprocesse", I, p. 60s.; sententias eorum missas faciamus qui eis physicam aut symbolicam quandam vim esse putarunt.

3) Festus p. 314; Bergk: Poet. Lyr.[4] III, p. 664.

4) cf. Pind. fr. 271.

5) Nuperrime Hollandius de hoc avium genere testimoniis undique collatis in commentatione inquisivit quae „Heroenvögel in der griech. Mythologie" inscribitur.

6) Holland l. l. p. 3.

ἐς δὲ τὸν Ἑλλήσποντον ἀφικόμενοι καὶ τὴν Τροίαν ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Μέμνονος ἀγωνίζονται πρὸς ἀλλήλους, καὶ τὸν ἀπὸ πτερύγων ἦχον ἀσπίδων ἄν τις ἀπεικάσειε κτύπους εἶναι. Quibuscum si contuleris, quae Pausanias de phantasmatis post pugnam Marathoniam confectam auditis tradidit: (I, 32, 3) *ἐνταῦθα ἀνὰ πᾶσαν νύκτα καὶ ἵππων χρεματιζόντων καὶ ἀνδρῶν μαχομένων ἔστιν αἰσθέσθαι* nostram praesenties interpretandi rationem: aves scilicet secum pugnantes defunctorum manes esse, utpote qui pristina inflammati pugnandi cupiditate memoresque pristinarum inimicitiarum etiam post mortem quotannis proelia renovent.[1]) Comprobatur sane haec Memnonidum fabulae interpretatio optime eo, quod *ἀσπίδων τὶς κτύπος* alarum crepitu moveri videbatur, quod quidem opinati non essent veteres, nisi revera mortuorum animas pugnasse sibi persuasissent, permixtis et confusis duabus de animarum forma, idolorum nempe et avium, sententiis. Comites autem sociosque Memnonis has aves fuisse ab Aurora commutatos cum Quintus Smyrnaeus tradiderit (II, 642 s.) sine dubio colligere licet omnium earum fabularum, quibus homines in volucres conversi esse dicuntur, originem repetendam esse a superstitione vulgi, ex qua animae hominibus mortuis avium effigie praeditae avolarunt. Quae quidem opinio in quibusdam aut in omnibus Graeciae regionibus olim vulgata, postquam idolorum forma praevaluit, repressa fabulisque inserta est, auctoribus denique et causis metamorphoseon excogitatis. Singulas huius generis fabulas in unum conferre etsi opus non est, Caenum exempli causa commemoro, cuius animam a Centauris saxorum mole oppressi sub avis figura discessisse ex Ovidii Metam. l. XII, 520 s. discimus, Ismenidum Pieridumque avium turbas, omnes denique, quos Antoninus Liberalis morientes aut in aves conversos esse aut evanuisse prodidit nova quadam volucrum specie subito exorta. Eadem quoque sententia cognoscitur ex eis, quae apud Pseudo-Lucianum (Lucius 13) inveniuntur: *ἐβουλόμην γὰρ πείρᾳ μαθεῖν, εἰ μεταμορφωθεὶς ἐκ τοῦ ἀνθρώπου εἶτα καὶ τὴν ψυχὴν ὄρνις ἔσομαι.* Haud scio an eae fabulae, quibus novam in patriam proficiscentibus volucrem itineris ducem exstitisse memoriae traditum est, e simili superstitione ortae sint, ex qua proavi anima volucris figura induta posteros deduxisse putabatur.[2]) Exemplum denique affere liceat

1) Imprimis nostrorum maiorum fabulas talis superstitionis exemplis abundare nemo nescit. cf. Mogk l. l. p. 1002s.

2) Exempla contulit Wackernagel l. l. p. 20.

a rerum Romanarum memoria petitum. Notissima sunt non solum quae apud Herodianum legimus Romanos consuesse imperatoribus in rogo combustis aquilam dimittere, quae imperatoris animam in coelum deferret[1]), sed etiam artis monumenta, quibus imperatores aquilis insidentes ad superos sublatos videmus. Ducta autem est huius usus origo ex vulgi opinione, qua animam homine mortuo seu corpore combusto avis effigie evolantem sibi finxerunt.

Quam arte vero haec de animarum forma opinio cum superstitionibus veterum connexa fuerit, optime mea quidem sententia ex ingenti illarum fabularum multitudine intelligitur, quibus bubones aut noctuae in culmine domorum assidentes funesto clangore mortem hominum indicasse dicuntur.[2]) Cuius sententiae haud parvum argumentum eliciendum esse concedes ex eis, quae supra de defunctorum manium studio animas viventium secum arripiendi disseruimus: volucrum scilicet effigie advolarunt animae, ut homines infesta voce avocarent. Bubones autem et noctuae praeter ceteras tristi illi muneri praeficiebantur, cum non solum nocturnae aves per se maiore terrore homines afficere solerent luce dieque gaudentibus, sed etiam artissimis vinculis consensu omnium sane gentium inter se coniuncti essent inferi, nox, nocturnae bestiae: artissime porro cum inferis cum cohaereant animae, nuntios inferorum animas esse oportet.[3]) Quam quidem opinionem antiquissimis temporibus apud Graecos inveterasse Hipponactis testatur fragm. 54: *κριγὴ δὲ νεκρῶν ἄγγελος δὲ καὶ κῆρυξ* simileque Menandri[4]): *ἂν γλαὺξ ἀνακράγῃ δεδοίκαμεν.*

Sed ne in re, quantum vidi comprobata multus sim, statuisse satis habeo inde ab antiquissimis remotissimisque temporibus veteres avis effigie animas sibi mente finxisse.

---

1) IV, 2, 11: *ἐκ δὲ τοῦ τελευταίου καὶ βραχυτάτου κατασκευάσματος, ὥςπερ ἀπό τινος ἐπάλξεως, ἀετὸς ἀφίεται σὺν τῷ πυρὶ ἀνελευσόμενος ἐς τὸν αἰθέρα, ὃς φέρειν ἀπὸ γῆς ἐς οὐρανὸν τὴν τοῦ βασιλέως ψυχὴν πιστεύεται ὑπὸ Ῥωμαίων.* Talem vim huic consuetudini fuisse Riessius coniecit, Mus. Rhen. 1894, p. 190.

2) cf. Amm. Marc. XXX, 5, 16; Ovid. Metam. V, 550; VI, 431; X, 453; XV, 791; Ibis 223. Plin. H. N. X, 12, 16; X, 41. Stat. Theb. III, 511; Verg. Aen. IV, 462 etc. Exempla copiose collegerunt Hopfius l. l. p. 100s. et Schwarzius: Menschen u. Tiere im Aberglauben der Griechen u. Römer p. 34s.

3) Plura huius superstitionis testimonia a fabulis aliarum gentium repetita exstant in his libris: Grimm: Deutsche Mythologie[4] II, p. 950; III, p. 326. Hopf: l. l. p. 25, 36, 39, 47, 100s., 131, 140, 145, 165 etc. Laistner: l. l. II, 258s. Mogk: l. l. p. 1010. Schwenck: l. l. p. 323s.

4) Meineke, Comic. graec. fragm. IV, p. 230, V, 11.

Eisdem vero temporibus eisdemque locis longe alia quoque opinio de animarum forma viguit plerisque probata, qua animis idolorum figuras hominum corpore facie veste simillimorum esse putarent. Utrum denique alae, quibus idola posteris temporibus instructa esse e monumentorum[1]) scriptorumque testimoniis discimus, eis datae sint ab avibus repetitae, confusis ut ita dicam duabus manium figuris necne, pro certo affirmare nondum audeo.[2])

Sed iam supra modum de avibus idolisque, animarum formis, disseruisse videmur avibus humana capita gerentibus, de quibus inquirere propositum erat, omnino neglectis; attamen a recta quaerendi via non aberravimus. Animae enim idolorum alatorum figuris circumvolantes optime sane ita depingi possunt, ut nemo dubitet, quin revera animae effigies ab artifice ficta sit, animae avium figuris praeditae minime. Nam axiomate, ut ita dicam, quod apud omnes populos omnibusque temporibus valet, constitutum est homines et deos et animas animalium quorundam formis indutos vulgi superstitione fingi et a poetis describi posse, non posse ab artificibus depingi. Quonam enim modo intellegatur, utrum bestia quaedam depicta aut marmore exsculpta propriae bestiae an dei aut animae in istam formam conversi sit imago?

Tolli omnino nequit haec difficultas nisi ita, ut eis animalium imaginibus, quibus deum aut animam repraesentare studeat artifex, partes ab hominum corporibus repetitae quodam modo adiungantur. His de causis commoti Aegyptii deis bestiarum capita indiderunt, Assyrii deos in bestiis collocarunt, alii bestias hominum capitibus aut artubus exornarunt.

Inde volucris quoque effigies humano capite praeditae orta est ad animam, cui avis figura mente et superstitione excogitata erat, arte effingendam, Aegyptiis scilicet auctoribus. Assyriorum enim et Babyloniorum arti talis imago defuit, nec per Phoenices, id quod omnes adhuc, qui hanc rem perstrinxerunt, pro certo affirmarunt viri docti, etsi nullis argumentis adiuti, ad Graecos delata est. Quod quidem singulis demonstrare hic locus non est, praesertim cum alio loco haec

---

1) Exempla cumulavit Hirschius l. l.

2) Praetermittendum non est Graecos animae tertiam quoque formam, anguis scilicet, attribuisse. Inde factum est ut angues saepissime in monumentis sepulcralibus Graecorum effingerentur. Non est huius loci accuratius de causis istius superstitionis inquirere; satis est commemorasse serpentes persaepe se tumulis sepulcrisque occultasse semperque eis inferam quandam notionem attributam esse.

a nobis firmis argumentis comprobata sint.[1]) Summa quaestionis ibi institutae haec est. Aegyptii avis humano capite exornatae figura omnibus temporibus ad animae effigiem depingendam usi sunt, quamvis diversa officia ei pro variis sententiis quae in singulis Aegypti regionibus semper viguerunt de animarum post fata vita et consuetudine, attribuerint. Quae cum ita sint verisimillimum esse concedes Graecos quoque, qui ex Aegyptiorum monumentis figuram avis humanum caput gerentis ipsi in suam artem transtulerunt, non formam solum et figuram mutuatos esse, sed etiam propriam illius vim et notionem, animae videlicet. Cui quidem sententiae fides non solum augetur, quin recte illa excogitata esse optime eo demonstratur, quod semper Graecorum mentibus imbutam fuisse eam opinionem modo intelleximus, qua animis avium figuras esse arbitrarentur. Quare Graeci cum in monumentis Aegyptiis avis figuram humano capite praeditae adspexissent, non insolitum ignotumque videbant monstrum ex hominis bestiaeque corporibus compositum, quales gryphorum, sphingum, gorgonum fuerant imagines, sed id, quod optime quadraret ad ipsorum sententias de animarum forma ipsas, et ad eas arte depingendas. Nam hac figura accepta animam in avem conversam non potuerunt a vulgari avium propriarum grege non discernere. Inde efficitur Graecis quoque avem humanum gerentem caput animae fuisse imaginem, illamque attributam esse aut attribui potuisse figuram eis daemonibus, quos animas esse coarguimus, Harpyiis nempe et Furiis et *Κήρεσι* et Sirenibus. Qua quidem forma imprimis ad Sirenes depingendas artifices usi sunt, ad reliquos eiusdem familiae daemones arte effingendos hominum seu idolorum figuris plerumque, non semper, adhibitis.

De artis monumentis, quatenus ad Sirenes spectent, etsi alio loco fusius uberiusque nobis disserendum erit, tamen pauca hic commemorare liceat, quorum testimonio quae modo disputaverimus vera esse comprobetur.

Si revera aves hominum capitibus exornatae animarum imagines sunt, barbatas quoque sexumque virilem exhibentes ab artificibus ad virorum animas repraesentandas effictas esse necesse est. Et exstat illarum haud parvus numerus.[2]) Quae quidem signa ei viri docti, qui ab uno Homero Sirenum ori-

1) Cf. commentationem quam de avibus humanis capitibus praeditis editurus sum.

2) Pauca affero: Vasa Mus. Berol. n. 957, 1062, 3929, Monac. n. 948, 956, alia.

ginem ducendam esse arbitrati sunt, funditus refutarunt, cum a Graecis „barbatas Sirenes“ nisi iocandi causa fictas esse omnino negarent.[1]) Suo sane iure refutarunt, quippe quae cum eis Sirenibus, quae in Odyssea describuntur, coniungi non possint. An istas figuras physica quadam aut ethica notione subiecta explicari posse putas?

Immo intelligi nequeunt nisi nostra interpretandi ratione et via adhibita.[2])

Pauca porro exstant monumenta, quibus avis humanum gerentis caput effigie animam repraesentatam esse consentiunt viri docti. Vascularem dico picturam rubris figuris exornatam, qua fabula, quae traditur de Procridis morte ita depicta est, ut supra illam morituram concidentem anima Sirenis, ut hoc nomen usurpem, forma avolet.[3]) Similem De Witte, vir doctissimus, laudat picturam Musei Parisini adhuc ineditam.[4])

Quae cum ita sint num dubitandum videtur esse, quin reliquis quoque imaginibus avium capitibus hominum praeditarum similis fuerit notio? Sed mirum in modum viri docti adhuc talém sententiam reiecerunt nec istis monumentis ullam ad propriam Sirenum naturam enucleandam attribuerunt vim, utpote quae ad monstra fabularia, quibus naturae quaedam phaenomena illustrarentur, minime quadrarent.

Tertio loco picturam quandam vascularem afferam, qua recte explicata[5]) egregie nostra Sirenum interpretatio fulcitur et comprobatur. In interiore enim parte figlinae paterae, Cyrenis pictae, quae nunc Lutetiae Parisiorum conservatur[6]), quinque adspiciuntur viri in lectis recumbentes, quorum uni ministeria facit puer dextra cyathum, sinistra demissa coronam tenens, cum ad reliquos duo iuvenes alati duaeque aves humanis capitibus et lacertis praeditae, quas Sirenes appellare mihi liceat, advolent. Quarum figurarum unaquaeque altera

1) M. Mayer: Hermes XXVII, p. 482 n. 3. Schrader: Die Sirenen. p. 104. Stephani: C. R. 1866 p. 51.

2) Primus Crusius simili explicandi ratione usus est; (Philolog. L. p. 102 n. 16.)

3) Mus. Brit. n. 1269. Inghirami: Vasi fittili tb. 205. Engelmann: Bilderatlas zu Ovids Metamorph. tb. 14, 87. Roscheri Lex. Myth. II p. 1101.

4) Catal. des vases peints provenant de l'Etrurie n. 139. Description des vases peints et des bronzes ant. qui composent la collection de M Magnoncour n. 108.

5) Extremis tantum digitis Crusius (Philolog. LII. p. 714) rem attigit interpretatione proposita nec satis perspicua nec, ut mihi quidem videtur, recta.

6) Bull. de corresp. hell. 1893, p. 238, fg. 6, Pottier. Plura alio loco hac de patera disputabo.

manu viris coronam porrigit, altera duplicem mirum illum pampinum loti, aliis in vasis Cyrenaicis in capitibus equitum[1]) aut sphingum[2]) aut figurarum quarundam alatarum[3]) defixum, cuius vim et significationem frustra adhuc indagare studuerunt viri docti.[4]) Litem hic componere, quae spectatissimis viris disputandi disserendique materiam dedit, quonam modo istae figurae alatae non nisi in Cyrenaicis vasis pictae explicandae sint, meum non est, Loeschckio equidem assentior viro doctissimo, qui idola ea esse pronuntiavit[5]). Eiusdem viri docti adstipulati sententiae, qua in vasis quoque coenas quae dicuntur funebres depictas esse nos docet[6]), cum in ea quoque, quam tractamus patera coenae funebris imaginem repraesentatam esse concedamus necesse sit, sequitur, ut viros coenantes heroes habeamus, quorum famuli idola seu animae sunt. Quibus probatis et Sirenes, eodem munere fungentes quo idola, animae sunt.[7]) Additurque huic interpretationi fides et auctoritas optime ea re, quod supra simili cogitatione usi et *Κήρεσι* lugentibus et lugentibus Sirenibus eandem vim esse et notionem demonstravimus. Melius denique testimonium esse censes, quo vera esse comprobentur quae diximus eodem loco eisdemque temporibus et idolorum et Sirenum formas manibus esse attributas?

Sed quid opus est pluribus? Argumentis me confirmasse spero haud ita fallacibus neve temere collatis, quae propriae Sirenum fuisse mihi videantur natura et provincia. Quibus probatis si non plura, tamen id saltem pro certo statuere licet fabulam non a nautis Phoeniciis inventam Graecisque traditam esse, quae quidem sententia compluribus viris doctis, imprimis Lewyo placuit[8]), sed ex ipsa Graecorum superstitione natam artissimis cohaerere vinculis cum omnibus quae de animarum post fata vita et consuetudine per totam apud Graecos viguerunt antiquitatem opinionibus.

1) Arch. Zeit. 1881 tb. XIII, 2, 3.
2) l. l. tb. XIII, 6.
3) l. l. tb. XIII, 3.
4) Heroum aut animarum signum mihi quidem esse videtur. Verum alias de hac re uberiora.
5) Jahrb. d. arch. Instit. 1887, p. 277 n. 5.
6) l. l. p. 276 n. 4.
7) Ad hanc interpretationem illius picturae proponendam litteris adductus sum a viro humanissimo Loeschcke Bonna benigne mihi missis, cui gratias ago quam maximas.
8) Jahrb. f. Philol. 1892, p. 181. Die semitischen Fremdwörter im Griechischen p. 205. O. Waser: Skylla und Charybdis in der Litteratur und Kunst der Griechen und Römer p. 9.

Tabula Argumenti.

I.

II.

III.

Vita.

Natus sum Guilelmus Georgius Weicker Cygneae anno h. s. LXIX. a. d. XV. Kal. Nov. patre Guilelmo qui inter summos Gymnasii Cygneensis magistros est, matre Agne e gente Steinbach, quos ambos salvos mihi esse gaudeo laetorque. Fidem confiteor evangelicam.

Postquam litterarum primordia didici a. LXXX. in gymnasium Cygneense receptus sum, cui, cum per totum fere annum ut e gravi morbo reficerer studiis valedixissem, per decem annos sodalis exstiti. Maturitatis testimonium adeptus vere anni h. s. XC. Tubingam me contuli ut studiis philologis me dederem. Per sex menses ibi versatus hanc almam litterarum sedem Lipsiensem adii studiisque incubui philologicis et archaeologicis.

Docuerunt me viri clarissimi Buresch, Crusius, Hasse, Herzog, Holz, Immisch, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Richter, Schäfer, A. Schneider, Schreiber, Sievers, Steindorff, Wachsmuth, Windisch, Wundt, Ed. Zarncke, Fr. Zarncke. Cum per sex menses proseminario moderante Zarnckio interfuissem, seminarii philologici regentibus Lipsio, Ribbeckio, Wachsmuthio sodalis fui ordinarius per bina semestria. Seminarii historici sodalibus ut per biennium adscriptus essem Wachsmuthii benignitate mihi concessum est, archaeologici seminarii exercitationibus per quattuor semestria interfui auspiciis Overbeckii, paedagogici per ter sex menses Richtero praeside. Societatibus philologicis ut interessem benigne mihi concesserunt Lipsius et Ribbeck, archaeologicis Schneider et Schreiber

Quibus viris doctissimis cum omnibus gratiam quam maximam habeo et habebo semper, tum Schneidero, Schreibero, Wachsmuthio, nec unquam Overbeckii, praeceptoris humanissimi memoria exstinguetur, quem ante paucos dies praematura morte abreptum esse cum omnibus quicumque artis monumentis investigandis studuerunt ac studebunt maxime doleo.

DRUCK VON HESSE & BECKER IN LEIPZIG.